Sc. Sup. 20. Pl. 3.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
43
9 D
24
FONDO

Digitized by Google

[redacted]

Digitized

MATTHÆI BASILE

OLIM MINISTRI GENERALIS
Univerſi Ordinis Minorum S.Franciſci
ARCHIEPISCOPI PANORMITANI

DE VINDICIIS DIVI PETRI DISSERTATIONES

Critico-Dogmaticæ

ADVERSUS MAGDEBURGENSES,
ALIOSQUE HETERODOXOS.

Accedit

DISSERTATIO UNICA

ELEUTHERI VINDICIAS

Complectens

OPUS POSTHUMUM.

PANORMI, MDCCXXXVI.
Apud Antoninum Gramignani.

Impr. Stella V.G.C.S.V.)(*Impr. Loredano P.*

EDITIONIS CURATOR
LECTORI.

INter cæteras, & quidem magni ponderis, Diſſertationes Critico-Dogmaticas, quas Cl. vir Matthæus Baſile Archiepiſcopus Panormitanus prælo parare curaverat, eæ proculdubio ſunt, quibus Divi Petri fidem, ejuſque Succeſſorum Chriſti Domini oraculo firmatam, & ab impiis Magdeburgenſibus, aliiſque Heterodoxis exturbatam, ab eorum calumniis vindicare propoſuerat: morte autem præventus, quod animo ſemel conceperat haud abſolvere potuit. Peracta enim Divi Petri defenſione, Eleutheri vindicias inchoaverat, eaſque ad exitum minime perduxit. Opus profecto ſolidiſſimis innixum rationibus, & ſelectiori Sanctorum Patrum doctrina refertum; idque veluti ſpeculum illius ſublimis ingenii imaginem præſefert, quam luculentiùs exhibebunt alia doctiſſimi viri monumenta n lucem quantociùs proferenda. Vale.

Digitized by Google

DISSERTATIONUM, AC CAPITUM ELENCHUS.

DISSERTATIO PRIMA.

CAP. I. EX Divi Petri lapſibus, ſeu veris, vel commentitiis ſupremam ejus in Eccleſia poteſtatem liquidò demonſtratur. pag. 1.
CAP. II. Sancti Patres Divi Petri in Eccleſia primatum ex ejus lapſibus recognoſcunt. pag. 8.
CAP. III. Primatus Divi Petri in Eccleſia non honoris tantùm ac dignitatis, ſed auctoritatis, ac juriſdictionis eſt. pag. 14.
CAP. IV. Perperam Heterodoxi Divi Petri lapſus magnifaciunt, quò ejus Primatum, ac in rebus fidei, morumque decernendis infallibilitatem oppugnent. pag. 23.

DISSERTATIO SECUNDA.

EXpenduntur ſingillatim crimina Divo Petro ab impiis Magdeburgenſibus attributa, ac primùm infidelitatis, ac diffidentiæ. pag. 26.
CAP. II. De Divo Petro Chriſtum ſuadente, ne ſe paſſioni dedat. pag. 36.

CAP. III.

CAP. III. *De Divo Petro cogitante, ac petente, ut in memoriam Dominicæ transfigurationis Tabernacula in monte extruerentur.* pag. 44.
CAP. IV. *A' Teterrimo ambitionis reatu Divus Petrus defenditur.* pag. 50.
CAP. V. *Divus Petrus ab altera calumnia, quam ei Magdeburgenſes affingunt, quòd Peccatorum remiſſionem ad numerum ſeptenarium reſtringere voluerit, vindicatur.* pag. 56.
CAP. VI. *Divum Petrum Magdeburgenſes reum faciunt de mercedis poſtulatione.* pag. 59.
CAP. VII. *Magdeburgenſes Divum Petrum duplicis culpæ reum faciunt, quòd Chriſti voluntati reſtiterit, quando ei pedes lavare volebat, & quòd eamdem divinam voluntatem tranſgreſſus fuerit.* pag. 65.
CAP. VIII. *Criminantur Divum Petrum impii Magdeburgenſes, proptereaquòd promptum ſe obtulit mortem oppetere cum ejus Divino Magiſtro.* pag. 73.
CAP. IX. *Divus Petrus juſſus in horto vigilare, & una cum Chriſto orare, protinus ſomno ſe dedit.* pag. 89.
CAP. X. *Heterodoxi Divum Petrum mutilationis, voluntariique homicidii reum arguunt.* pag. 92.

CAP.XI.

CAP. XI. *Ad reatum Divum Petrum revocant Magdeburgenſes, quia Chriſtum in manibus militum reliquerit.* pag. 99.

CAP. XII. *De trina Divi Petri negatione, quam fletibus planxit.* pag. 109.

CAP. XIII. *Reum arguunt Heterodoxi Divum Petrum, quòd Chriſti reſurrectionem ſibi nunciatam non perceperit.* pag. 122.

DISSERTATIO TERTIA.

QUare Divus Petrus reprehenditur à Divo Paulo. pag. 132.

CAP. I. *An reprehenſio Divo Petro facta à Divo Paulo verè contigerit.* pag. 134.

CAP. II. *Divi Hieronymi ſuper hujuſmodi Divi Petri reprehenſione opinio in medium adfertur.* pag. 139.

CAP. III. *Divi Auguſtini ſuper laudato argumento ſententia uberiùs declaratur.* pag. 144.

CAP. IV. *Cuinam laudatarum opinionum ſubſcribendum ſit.* pag. 156.

CAP. V. *Cardinalis Baronii ſententia ad examen revocatur.* pag. 166.

CAP. VI. *Quantus aſſertus Divi Petri lapſus fuerit, expenditur.* pag. 172.

CAP. VII. *Nunquam ex aſſerta reprehenſione inferri licet, Divum Paulum ſuperiorem, vel parem Divo Petro fuiſſe.* pag. 184.

DIS-

DISSERTATIO UNICA.

V*Indicias Eleutheri complectens*.

CAP. I. *Quiſnam fuerit Romanus ille Pontifex, cujus Tertullianus meminit, expenditur*. pag. 190.

CAP. II. *De ortu, progreſſuque Montaniſmi*. pag. 201.

CAP. III. *A Montaniſmi adprobatione Eleutherus vindicatur*. pag. 205.

DIS-

DISSERTATIO
PRIMA

In qua præmittuntur, ac breviter expenduntur aliqua ad Divi Petri Vindicias ſpectantia.

CAPUT I.

Petrus à Chriſto Domino Eccleſiæ Principatui deſtinatus, aliquando non incongruè labi permittitur.

SUmmorum ergo Pontificum vindicias concinnaturus, exordiendum mihi eſt ab ipſo Apoſtolorum Principe, primoque poſt Chriſtum Pontifice Divo Petro. Mirum quid Orbi Catholico fortaſſe videbitur, Petri quoque fidem egere vindiciis; Petri inquam fidem, quâ ſcilicet Eccleſiæ nunquam collapſuræ,

vel nutaturæ ſtabilitas nititur : Sed in omnes cæca irruit impietas , nullaque eſt tam excellens aut ſanctitas , vel auctoritas , in quam inſultare non auſit . Sancivit quidem immutabili Decreto Deus , Petri fidem ſtabilem, inconcuſſamque manſuram, *Ego pro te rogavi , ut non deficiat fides tua*, atque totam inferni rabiem adverſus eam fruſtra bellaturam . *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* : At veritatis decretis vale dixit humana præſumptio, cui id verum , probatumque , quod placitum ; nec horret Deum mendacii coarguere, modò ſui ſit juris, propriæque libidini faciat ſatis.

Ergo plura Divi Petri peccata Magdeburgenſes, aliique hæretici operoſiùs exquiſita recenſent, eo equidem conſilio , ut inde ex exploratis velùti præmiſſis, eum Apoſtolis cæteris , ac toti Eccleſiæ præpoſitum nequaquam fuiſſe inferant . Poſtquam enim culparum Petri catalogum concinnarunt, hujuſce laboris ſcopum his verbis aperiere : *Hi nævi , & lapſus Petri non ſine conſilio Spiritus Sancti memoriæ ſunt in ſacris libris traditi ; fuitque non poſtrema cauſa proculdubio , ne Petro nimiùm attribueretur ; id quod poſterioribus ſæculis futurum eſſe Deus prævidit* . Si ſat mihi otii eſſet, idque concepti operis permitteret inſtitutum, longam hîc ſæculorum omnium Patrum ſeriem attexerem , Petri primatum , ſupremamque auctori-

ctoritatem diſertiſſimè profitentium ; quo quidem facto compertiſſimum fieret, nil Petro poſterioribus ſæculis attributum, quo à tota vetuſtate exornatus non fuerit. Sed operam hanc egregiè navarunt plerique cùm doctrina, tum pietate viri ſpectabiles, qui integra ferè volumina in hiſce controverſiis explicandis, atque in redarguendis hæreticorum mendaciis ſatis utiliter inſumpſerunt. Mihi tantæ quæſtionis unica ſolummodò pars brevibus hîc examinanda eſt, atque oſtendendum, ex Petri lapſibus ſeu veris, ſeu commentitiis nedum quidquam adversùs ſupremam ejus auctoritatem non poſſe confici, quinimmò vel ex illis Primatum ejus, ſupremamque poteſtatem apertiſſimè comprobari.

Ea ſolet hominum eſſe conditio, ut ſuperioritatem adepti ſubditorum culpis ignoſcere neſciant, quaſi altioris jam ipſi naturæ participes effecti ſint, illaque peccata, quæ in ſubjectos immiti animo vindicant, patrari ab ipſis deinceps non poſſe autument. Peccata quidem inferiorum ulciſci debet ſuperior; hujus etenim rei gratia ſæpiùs à Deo principibus juſtitia commendatur; ſed eos quoque latere non debet, juſtitiam abſque clementia, haud ſanè juſtitiam, ſed aptiori vocabulo immanitatem dici; non jure vocari homines illos, qui alios labentes inhumana, atque inflexibili ſeveritate condemnant.

nant : Nil ergo magis decet virum principem, atque in alios poteſtatem exercentem, quàm facilitas, & clementia: Seneca de clement. lib. I. cap. 19. *Excogitare nemo quiſquam poterit, quod magis decorum regenti ſit, quàm clementia, quocumque modo is, & quocumque jure præpoſitus cæteris erit*; eâ etenim neceſſariò exercendæ juſtitiæ rigorem mulcet, atque erratorum quidem vindicem, errantium verò amicum, patremque ſe præbet.

Licèt verò plerique hominum ita naturâ conſtituti ſint, ut miſeriis infelicium ad pietatis affectus facilè commoveantur, eorumque lapſibus benignè ſatis ignoſcant; nil tamen eſt aptius hominibus in clementiæ; miſericordiæque operibus erudiendis, quàm ſi & ipſi quandoque in culpas aliquas incidant, atque ob illas aliorum benignitate opus habeant: *Non ignara malis miſeris ſuccurrere diſco*, ajebat apud Poetam Dido, ſuarumque memor anguſtiarum opem ſuam miſeris alacri, benignoque animo impertiebatur. Optimus ergo hominum princeps ille eſt, qui humanam imbecillitatem expertus, ea ſe aliquando paſſum reputet, quæ ſibi ſunt in ſuis ſubditis reprehendenda.

Cùm verò principes omnes, atque rectores deceat clementes, ac mites eſſe, hæc tamen virtus nemini magis congruit, magiſque neceſſaria eſt, quàm Eccleſiæ capiti;

Di-

Diſcite, inquit Chriſtus, *à me*, *quia mitis ſum*; abſurdum namque, minimèque conſentaneum foret, Chriſti locum, & auctoritatem tenere, ejus verò bonitatem, atque clementiam haud imitari. Congruum ergò fuit, ut is, qui à Domino Eccleſiæ ſuæ Princeps, & Paſtor deſtinabatur, labi aliquando, ac egere miſericordia permitteretur, ut lapſu ſuo lapſis compati, omniumque peccatorum miſereri diſceret: Præclarè Gregorius Hom. 21. in Evang. *Conſiderandum nobis eſt, cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ Eccleſiæ præferre diſpoſuerat, ancillæ vocem pertimeſcere, & ſeipſum negare permiſit. Quod nimirum magna actum eſſe pietatis diſpenſatione cognoſcimus, ut is, qui futurus erat Paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter aliis miſereri debuiſſet.*

Apoſtolus etiam ad Hebræos cap. 5. Pontificis conditiones enumerans, ait: *Qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant; quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate; & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Quàm bonus Pontifex, probuſque ſuperior ille eſt, qui aliorum ulturus errata, humanæ conditionis vices expendit, ac recolit facilè fieri poſſe, ut & ipſe labatur! Sic etenim peccantes non aſpernatur, haud jis iraſcitur, non excandeſcit;

Digitized by Google

ſed ad eorum miſeriam ſe demittit, iiſque ſe humanum, ac benignum exhibet, eorum ignorantiæ, ruditati, lapſibus, & vitiis condolet: ergo permittitur, ut labatur Petrus, ſuoque diſcat experimento, quàm debilibus natura hæc noſtra innitatur viribus; ſicque deinceps Paſtor ipſe peccantibus aliis facilem, mitemque ſe præbeat. Homo totus innocens, & qui nulli unquam culpæ fuerit obnoxius, delicta, & delinquentes exhorret: At juſtus qui, & aliquando peccator fuit, ita innocentes complectitur, ut peccatores non negligat. Pulchrè Optatus Melevit. lib. 7. ſibi attributo, contra Parmenian. *Stant toti innocentes, & peccator accipit claves......... Proviſum eſt ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores*. Et ſapientiſſimè Auguſt. ſerm. 124. de Temp. ubi de Petro Malchi auriculam amputante, inquit: *Hic igitur tam durus, tamque ſeverus, ſi donum non peccandi à Domino fuiſſet indeptus, quæ venia commiſſis populis donaretur? Sed idcircò divinæ providentiæ ſecretum ita temperavit, atque permiſit, ut primus ipſe laberetur, ac rueret in peccatum, quò erga peccantes duriorem ſententiam proprii caſus intuitu temperaret*.

Magnam quoque fiduciam in Chriſti fidelibus excitat Petri lapſus; ſic etenim ab Eccleſiæ principe peccatorum veniam confi-

den-

denter implorant, dum in eo peccatorum remedium ſtatutum ſciunt: Eos etiam non nihil cautos, ac prudentes reddit, nève ſuis viribus nimiùm fidant, edocet; Nam ſi vel ipſe Divus Petrus aliquando lapſus eſt, id aliis quibuſcumque longè faciliùs contingere poterit. Leo Magnus ſerm. 9. de Paſs. *Ob hoc ſicut apparet, hæſitare permiſſus, ut in Eccleſiæ principe remedium pænitentiæ conderetur: & nemo auderet de ſua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec Beatus Petrus potuiſſet evadere*. Quocirca & ipſe Chriſtus Dominus Eccleſiæ conſtructor, & Pontifex per omnia tentari voluit, ut in noſtris ærumnis eum, veluti tentationes expertum, cum fiducia adiremus: *Non enim*, ad Hebræos 4. *habemus Pontificem, qui non poſſit condolere infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato: Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ*. Nimirùm ut ſapientiſſimè Chryſologus ſerm. 50. *Medicus, qui non fert infirmitates, curare neſcit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem*.

Congruum quoque fuit, ut in eo, quem primum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem Dominus deſignabat, ejuſdem Eccleſiæ qualitatem exprimeret, quæ eſt fortium, atque debilium, ſanctorum, peccatorumque in fidei unitate col-

collectio . Nimirùm in Petro Chriſti divinitatem firmiſſimè confitente , ſignificata eſt perfectorum ſtabilitas : in eoque jam trepido nutanteque , cæterorum debilitas præfigurata eſt . Auguſtinus de Verb. Domini ſecundùm Matthæum ſerm. 13. *In eo quod dixit Petrus , Tu es Chriſtus filius Dei vivi , firmos ſignificat ; in eo verò quòd trepidat , & titubat , infirmos Eccleſiæ ſignificat . In illo ergò uno Apoſtolo , ideſt , Petro in ordine Apoſtolorum primo , & præcipuo , in quo figurabatur Eccleſia , utrumque genus ſignificandum fuit , ideſt , firmi , & infirmi , quia ſine utroque non eſt Eccleſia.*

CAPUT II.

In Petri lapſibus Sancti Patres Primatum ejus in Eccleſia recognoſcunt.

LIcèt Patrum auctoritas Heterodoxis nullius , vel parvi ſit ponderis , iis tamen , qui ſincerè , pièque Chriſto nomen dederunt , argumentum debet eſſe graviſſimum . Cuinam etenim vel mediocris probitatis viro Lutheri inſolentia ; vel Calvini procacitas unquam probari poterit , perpetuam Eccleſiæ ſententiam , Patrumque omnium conſenſum , tamquam ir-

ritum

ritum quid aſpernantium , ſuiſque novitatibus poſthabentium ? Nimirùm, ut Solis radii noctuas deturbant , ſic divinæ veritatis fulgores è doctrinis Sanctorum erumpentes proſternunt impios ; qui haud inconcinnè noctuis conferuntur, ob enervatas erroribus intelligentiæ vires ; ſequela etenim peccati eſt corporis, & mentis infirmitas. Standum ergò nobis eſt Eccleſiæ doctrinæ ; & quidquid Patribus in Scripturarum expoſitione probatur, illud nobis indubius ſit canon in veris ſacrarum litterarum ſenſibus explorandis. At verò tantùm abeſt, ut Patres , & Eccleſiæ Doctores ob aliquos Petri lapſus ſupremæ ejus dignitati derogandum cenſuerint, quin potiùs in hiſce lapſibus recenſendis Primatum ejus , ſupremamque poteſtatem profiteantur, & evehant.

Divus Chryſoſtomus ſuper Matth. 14. homil. 51. diſſerens de Petri ſuper aquas gradientis timore, atque periculo, exiſtimat, cæteros Apoſtolos adhuc rudes, humanaque patientes, ejus diſcrimine fuiſſe lætatos; deinceps verò perfectionis , virtutiſque ſtatum adeptos , in cunctis ei principem contuliſſe locum : *Hinc cæteri ſolamen conſecuti ſunt ...... Nondum enim gratia ſpiritus corroborati, facilè movebantur : Gratia verò accepta non tales fuerunt , ſed ubique primatum Petro præbent , & in concionibus eum anteponunt*. Divus Auguſtinus ſu-

per hunc ipſum Evangelii textum præclaram Primatus Petri mentionem facit, de Verb. Dom. ſecundùm Matth. ſerm. 13. *In illo ergò uno Apoſtolo, ideſt, Petro, in ordine Apoſtolorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia &c.* Divus Bernardus candidiſſimus Scripturarum interpres, ex hoc eodem Evangelii loco univerſalem Petri in Eccleſia principatum concludit, lib. 2. de conſiderat. *Petrus gradiens ſuper aquas, unicum ſe Chriſti Vicarium deſignavit, qui non uni populo, ſed cunctis præeſſe deberet: ſiquidem aquæ multæ populi multi.* En quomodo ex eodem Evangelii loco, ex quo hæreticorum impietas Petro inſultandi occaſionem arripit, Eccleſiæ Doctores ad Primatum ejus conſtabiliendum commoda eruunt argumenta?

Matthæi 16. Petrus Chriſtum increpat, quòd ſibi paſſionem, crucemque prædicat; ſed à Domino repræhenditur, vocaturque Satanas. Multi ſunt hæretici in facto hoc expendendo, Divumque Petrum graviſſimi ſceleris arguunt; concluſumque Calvino eſt, eum nequaquam paulò ante verbis illis Chriſti Domini, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam... Et tibi dabo claves Regni Cælorum, &c.* conſtitutum fuiſſe Eccleſiæ Petram, & caput, hoc fermè argumento: Petrus hîc à Chriſto Satanas appellatur: non ergò paulò ante

te vocatus eſt petra, nec ei prærogativa capitis collata eſt. At verò Chryſoſtomus ſuper hunc textum Homil. 55. Petri primatus inculcandi rationem invenit, inquiens, *Audiant quicumque paſſionis Chriſti crucem verecundantur: Nam ſi Apoſtolorum Vertex, etiam antequam Crucis myſterium diſceret, Satanas vocatus eſt, quam veniam impetrabunt, &c.*

Porrò ſuper hoc ipſum Matthæi caput occaſione commendatiſſimæ illius Petri confeſſionis, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, plura ſcribit Chryſoſtomus primatum ejus apertiſſimè connotantia; hujuſmodi ſunt illa, *Quid igitur Petrus omnium Apoſtolorum Os, & Vertex conſortii totius? Cùm omnes interrogati eſſent, ipſe ſolus reſpondet, &c.* Et infrà exponendo Chriſti reſponſionem, *Et ego dico tibi, &c. Hîc apertè prædixit, magnam eorum, qui credituri & erant, & ſunt, multitudinem fore, & ſublimiora ſapere ipſum facit, & Eccleſiæ futuræ Paſtorem conſtituit*. Et poſt aliqua: *Ita & Pater ad Hieremiam dicebat, ſicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſui te. Sed ipſum quidem uni Genti Pater; Petrum autem univerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit*. Vetuſtas tota Chryſoſtomo adſtipulatur, nec Sanctorum, aut Patrum invenire contingit, qui in hujuſce loci commentatione pro Divi Petri prima-

tu teſtimonium non tulerit.

Calvino abundè ſatisfacit genuina Hieronymi interpretatio, cujus hæc ſunt verbi, *Prudens Lector conſideret, Petro illam beatitudinem, atque poteſtatem in futuro promiſſam, non in præſenti datam; quam ſi ſtatim dediſſet ei, nunquam in eo pravæ confeſſionis error inveniſſet locum*. Petrus itaque vocatus fuit à Chriſto Petra Eccleſiæ, non jam extructæ, ſed deinceps conſtruendæ; promiſſa tunc ei fuit ampliſſima poteſtas clavium, ſed tunc non collata: Non ergo mirum ſi adhuc labitur; adhuc enim petra non eſt, nec Eccleſiæ fundamentum, Cælorumque claviger: Aſt cùm hæc deinceps erit, nullus in eo invenietur errori locus.

Super Matthæi 18. ubi de majoritate, ac prælatione Apoſtolos inter lis excitatur, nemo Patrum, Expoſitorumque Petri primatus, ſupremæque poteſtatis non meminit. Eorum auctoritates nunc miſſas facio, prolaturus illas dum inferiùs Petrum à lapſibus vindicabo. Afferam dumtaxat duo Chryſoſtomi loca; unum ex Homil. 83. ſuper Matthæi 26. ubi Petrus animam ſe ſuam pro Chriſto daturum alacriter pollicetur; *Nam qui ſuper confeſſionem Petri Eccleſiam ita fundavit, atque munivit, ut nullum periculum, neque mors ipſa poſſet eum ſuperare, qui claves Regni Cælorum ei conceſſit,*

ceſſit, & totam poteſtatem ei commiſit . . . : maxima quippè auctoritate, illa dicam, Ædificabo ſuper te Eccleſiam meam, & dabo tibi claves Regni Cælorum. Alterum ex Homil. 87. in caput 21. Joannis, ubi de Joanne Petrus Chiſtum interrogat, *Hic autem quid! Nam*, inquit, *cùm magna Chriſtus Petro communicaſſet, Orbis terrarum curam demandaſſet, martyrium prædixiſſet?* Et ſub initium ejuſdem Homiliꝗ ſuper illud, *Simon Joannis, diligis me plùs his? Quid tandem*, ait, *aliis omiſſis, his dumtaxat Petrum affatur? Os erat Apoſtolorum, & Princeps: propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit*. Concludendum ergò nobis eſt, Sanctos Patres Eccleſiæque Doctores ne dum in Petri lapſibus quidquam non inveniſſe, quo ejus primatui derogaretur, quin potiùs iiſdem in factis, perperam ab hæreticis interpretatis, primatum ejus, ſupremamque auctoritatem inſpexiſſe, illamque pro dignitate crebriùs exaggeraſſe.

CA-

CAPUT III.

De quo Primatu adducta teſtimonia intelligenda ſint, explicatur.

CAutior deinceps impietas effecta eſt: comperiens namque ſe cunctis cùm ſapientibus, tùm ignorantibus ridiculam fieri, Petri primatum, rem nempè notiſſimam, *abſolutè* inficiando, ſubtilem quamdam diſtinctionem invexit, qua niſi illis, ſaltem iſtis fucum faceret. Ea verò eſt, Petrum quidem digniorem, atque honoratiorem inter Apoſtolos locum obtinuiſſe, præque ceteris colendum, venerandumque fuiſſe, at nulla tamen in eos auctoritatem habuiſſe; ut nimirùm primatus ejus honoris fuerit, ac dignitatis, minimè verò auctoritatis, & juriſdictionis; eo prorsùs modo, quo Imperatorem Reges antecellere dicimus, non quòd ulla in eos auctoritate potiatur, ſed quòd honoratiorem, dignioremque illos inter locum obtineat.

At novum hoc impietatis commentum jampridem à Sanctis Patribus judicatum, exploſumque fuit. Data ſiquidem Petro poteſtas fuit paſcendi agnos, & oves, totum ſcilicet Chriſtianum Orbem, fratreſque deficien-

ficientes confirmandi : *Paſce Agnos meos , Paſce Oves meas. Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos* . Quòd ſane non eſt , digniorem ſolummodo , ac honoratiorem in Eccleſia obtinere locum, ſed ſuprema regendi, & judicandi poteſtate pollere. Chryſoſtomus locis laudatis. *Et Eccleſiæ futuræ paſtorem conſtituit ...... Qui claves Regni Cælorum ei conceſſit , & totam poteſtatem ei commiſit ...... Nam cùm magna Chriſtus Petro communicaſſet , Orbis terrarum curam demandaſſet , &c.* Si totius Eccleſiæ Paſtor eſt Petrus, ſi totam in ea poteſtatem habet , ſi totius Orbis cura ei demandata eſt: ergò primatus ejus haud in ſola dignitatis , honoriſque principalitate conſiſtit, ſed in ſuprema auctoritate, ac juriſdictione.

Et Homil. 3. in Act. Apoſtol. idem Sanctus Doctor mentem ſuam luculentiùs declarans inquit, *Quàm eſt fervidus? Quàm agnoſcit creditum à Chriſto gregem? Quàm in Choro Princeps eſt?* Et infrà, *meritò primus omnium auctoritatem uſurpat, ut qui omnes habeat in manu: Ad hunc enim dixit Chriſtus : Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos* . Nil clariùs dici potuit pro ſuprema Petri poteſtate in tota Eccleſia, etſi in unum collecta, declaranda. Quid enim eſt aliud , eum totum Apoſtolorum ordinem , atque conſeſſum in ſua

ma-

manu habere ; quàm illos omnes ; licèt in unum collectos , ſuæ ſubjici auctoritati , à ſuoque regimine , ac diſpoſitione pendere ? Alia Sancti hujus Doctoris loca , quæ ſanè multa , & præclara ſunt , in medium proferre haud eſt operæpretium , cùm vel in ipſo textu , vel apud alios rerum harum ſcriptores facilè videri poſſint.

Et hæc ipſa fuit perpetua Auguſtini ſententia, innumeris penè vicibus aſſerentis, Divum Petrum Eccleſiam totam præfiguraſſe, repreſentaſſe, ejuſque geſſiſſe perſonam: Serm. 13. de Verb. Dom. ſecundùm Matthæum, *In illo ergò uno Apoſtolo , ideſt , Petro , in ordine Apoſtolorum primo , & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia, utrumque genus ſignificandum fuit*. Et ſerm. 49. cap. 3. *Dicit Petro , in quo uno format Eccleſiam , Petre amas me , &c.* Serm. 108. de diverſis , *Inter hos penè ubique Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam..... Hinc ergò Petri excellentia prædicatur , quia ipſius univerſitatis , & unitatis Eccleſiæ figuram geſſit*. At verò quo modo Petrum Eccleſiæ figuram geſſiſſe dicendum erit? Eo proculdubio , quo Paſtor gregem , Princeps populum , Pater filios repreſentat ; iis namque titulis eum Chriſtus Dominus , totaque vetuſtas exornat. Nomina hæc ſunt non honoris ſolummodo , &. dignitatis , ſed auctoritatis quoque , ac juriſdictionis.

Lau-

Launojus, & Ellies inficiantur, ex Chriſti verbis, *Paſce oves meas*, rectè deduci, Petri curæ oves omnes fuiſſe commiſſas: Nam, inquiunt, propoſitio iſta, *Paſce oves meas*, eſt indefinita, & in hiſtoriis, ut à dialecticis obſervatur, plerumque particularis eſt, quemadmodum illa, *Milites plectentes coronam de ſpinis*. Subinferunt ergò Petri regimini haud omnes, ſed aliquas dumtaxat oves fuiſſe demandatas; alioquin, inquiunt, ſequetur, non alios fuiſſe paſtores, quàm ſolùm Petrum, quod eſt falſum.

Sed enim communis ſententia Juriſconſultorum eſt cum Bartolo quæſt. 9. num. 11. *Ubi lex generaliter loquitur, & non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*. Quo ergò jure auctoribus hiſce diſtinguendum videtur in verbis Chriſti, generaliter ab eo, & abſque ulla diſtinctione prolatis? Quòd ſi Jureconſultis haud cenſeant deferendum, en Divus Bernardus ad hoc ipſum noſtrum propoſitum inquiens, *Si me amas Petre, paſce oves meas. Quas? Illius, vel illius populos Civitatis, aut Regionis, aut certi Regni? Oves meas inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur ubi diſtinguitur nihil, &c.* lib. 3. de Conſider. cap. 8. Evertit ſanè inanem auctorum horum philoſophiam, vanamque fallaciam auctoritas tam præclara; Neque enim Bernardum arguere poſſunt, ut

ſolent multos ; adulationis ergà Romanos , aut eum curialem Theologum jure vocare poterunt.

Sed fortaſsè Bernardus dialecticam non callebat: ergò neque Chryſoſtomus ex eadem indefinita Chriſti propoſitione ſubinferens Homil. 87. in cap. 21. Joannis : *Cùm magna Chriſtus Petro communicaſſet, Orbis terrarum curam demandaſſet, &c.* Nec Leo Magnus , qui ſerm. 3. de Aſſumptione ſua inquit: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis , cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur* . Nec Divus Maximus Homil. 3. in Natali BB. Petri, & Pauli, inquiens, cui *totius Eccleſiæ gubernacula tradita ſunt* : nec Patres cæteri , quorum ſenſus communis eſt , Petri regimini non hos, vel illos, ſed fideles omnes fuiſſe commiſſos. At verò cuinàm hæc probabuntur? illi proculdubiò, qui longum vale pudori dixit argutiolis ſuis cætera poſthabendo.

Porrò , ni fallor , vel ſolo Evangelico textu hujuſmodi cavillatio refelli poteſt: Etenim Chriſti Domini propoſitio , *paſce oves meas*, eumdem proculdubiò ſenſum habet , ac verba illa ejuſdem Chriſti , *Et tibi dabo claves Regni cælorum : & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælo ; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo* . Earum nempè

ovium

ovium Petrum Paſtorem conſtituit, in quas ligandi, atque ſolvendi poteſtatem ei antea pollicitus fuerat: Compertum verò eſt, pollicitationis verba omnes includere, ſenſumque præſeferre penitùs univerſalem, *Quodcumque ligaveris, Quodcumque ſolveris*; concludendum igitur eſt propoſitionem illam, *paſce oves meas*, omnes prorsùs oves complecti: niſi auctoribus hiſce haud improbabile videatur, Chriſtum plura quidem promiſiſſe, ſed reipſa pauca contuliſſe.

At inde ſequitur, non alios fuiſſe paſtores, quàm ſolùm Petrum. Ita quidem juxta horum auctorum dialecticam: ſed aliter videtur magno Leoni loco nuper laudato, ſubdenti: *Ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus*. Aliter quoque videtur Divo Bernardo loc. cit. *Sunt quidem & alii Cæli Janitores, & gregum paſtores: ſed tu tantò glorioſiùs, quantò & differentiùs verumque præ cæteris nomen hæreditaſti: habent illi aſſignatos ſibi greges, ſinguli ſingulis, Tibi univerſi crediti ſunt, uni unus; nec modò ovium, ſed & Paſtorum tu unus omnium Paſtor, &c.* En quomodo juxtà Sanctorum doctrinam optimè hæc duo cohæreant, Petrum ſcilicet totius Eccleſiæ Paſtorem eſſe, & alios etiam Paſtores in Eccleſia inveniri. Totius exercitus unus

eſt Imperator ſupremus, pluresque in eodem ſunt inferiores Duces : cuilibet horum providendum eſt parti ſibi commiſſæ, at illi de toto cura eſt.

Sed inſtant, Sanctorum Patrum mentem eſſe, haud ſoli Petro, ſed & cæteris oves fuiſſe commiſſas : Chryſoſtomus homil. 79. in Matthæum: *Amas me, Petre, paſce oves meas ; quod non ad Sacerdotes ſolummodò dictum eſt, verùm etiam ad ſingulos noſtrum, quibus vel minimus grex commiſſus eſſe videtur*. Huic objectioni jam factum eſt ſatis; non enim abnuimus & cæteris Apoſtolis demandatam fuiſſe fidelium curam, ſed ſolùm contendimus, cæteros Apoſtolos paſtores quidem effectos ; at verò Petrum & ovium, Paſtorumque Paſtoris prærogativam accepiſſe. Chyſoſtomus ita aſſeverat, verba illa, *paſce oves meas*, ſingulis eſſe dicta, ut tamen iis verbis Petro *Orbis terrarum cura ſit demandata*. Nimirùm ſingulis ſingulæ partes commiſſæ ſunt in Petro, & per Petrum, ſed tamen Petro non partis cujuſdam, ſed totius cura concredita eſt. Similiter Ambroſius, quem nobis objectant, lib. 2. de dignit. Sacerd. cap. 2. ita aſſerit, cæteros cum Petro oves ſuſcepiſſe, ut tamen lib. 10. in Lucam ad caput 24. diſertè fateatur, Petri regimini oves, & Paſtores fuiſſe commiſſos, *Tertiò Dominus, non jam diligis me? ſed, amas me? interrogavit: & jam non agnoſ*

ut

ut primò, quodam lacte paſcendos; nec oviculos, ut ſecundò, ſed oves paſcere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret.

Eſt ergò Petrus Apoſtolorum Princeps, totiuſque Eccleſiæ caput, non honore ſolùm, ac dignitate, ſed etiam auctoritate, & juriſdictione, quod præter allata Sanctorum teſtimonia diſertè concludit Leo Magnus ſerm. 80. in Natali Apoſt. Petri, & Pauli, inquiens: *Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens ſancta, populus electus, civitas ſacerdotalis, & regia per ſacram B. Petri ſedem caput Orbis effecta, latiùs præſideres religione divina, quàm dominatione terrena*. Cui accinit Proſper Carm. de Ingrat. *Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis, Religione tenet*.

Auctores nuper allati inficiantur, horum verborum illum eſſe ſenſum, quem nos prætendimus, Romam ſcilicet Religione Eccleſiarum omnium eſſe dominam, ſed ſenſus, inquiunt, eſt, quòd ea Religio, quæ Romæ viget, ubique vigeat, iis etiam in locis, quo Romanorum arma penetrare non potuerunt. Præclara equidem interpretatio, nam juxtà eam Leonis, & Proſperi Romanæ Urbis elogium cuicumque catholici orbis oppidulo æquo jure aptari poteſt, & debet, cùm illa Religio, quæ in eo viget, ubique vigeat, & floreat. In has incidunt ineptias, qui ſuis ſtudent

dent præjudiciis, non veritati. Productorum ergo verborum ſenſus tam clarus eſt, ac exploratus, ut nulla egeat interpretatione: Quid enim eſt aliud, Romam poſſidere Religione quidquid non poſſidet armis, quàm jus ſibi à Religione donatum latiùs ſe extendere, quàm jus eidem armis acquiſitum? Quod adhuc diſertiùs explicat Magnus Leo prædictis ſubdens: *Quamvis enim multis aucta victoriis, jus Imperii tui terra, marique protuleris; minus tamen eſt quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax chriſtiana ſubjecit*. Si plus Romæ ſubjecit pax chriſtiana, quàm bellicus labor: majus ergo dominium Religione, quàm armis ei comparatum eſt: Neque enim abſque dominio ulla dari poteſt ſubjectio.

Iis ergo auctoribus aliiſque ſimilibus Petri primatum, Eccleſiæque Romanæ principalitatem tantoperè oppugnantibus, atque dicentibus: *Debitam ei* (Petro ſcilicet, & Eccleſiæ Romanæ) *reverentiam exhibemus, & nihil ampliùs*; occurrendum eſt cum Divo Bernardo Epiſt. 131. quam dirigit ad Mediolanenſes; ubi huic objectioni ſatisfacit, inquiens: *Eſto, fac quod dicis; quia ſi exhibeas debitam, & omnimodam. Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper univerſas Orbis Eccleſias, ſingulari prærogativa Apoſtolicæ Sedi donata eſt: qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Sed de Ec-

cle-

cleſiæ Romanæ in omnes Eccleſias jurifdi-ctione perpetuus nobis in hoc opere ſermo erit.

CAPUT IV.

Novatores ab re Petri lapſibus utuntur, ut ejus primatum, & infallibilitatem oppugnent.

PHiloſophis omnibus probatum axioma eſt, *Qui rectè diſtinguit, proximus eſt veritati*. Illi ergo qui omnia confundunt, ac ſursùm, deorsùmque miſcent, tàm abſunt à rei veritate, quàm à debita rerum diviſione. Novatorum conſilium Petri lapſus tàm ſubtiliter inveſtigantium eſt, ut ejus primatum, ac in rebus fidei, morumque decernendis infallibilitatem oppugnent: Quorſum ergo lapſus illos prætendunt (tredecim ſunt) in quos Petrum incidiſſe autumant, anteaquam paſtorali dignitate inſignitus fuerit? Ut enim errores illi in Petro Capitis excellentiam præceſſerunt; ſic nullum ex eis argumentum deſumi poteſt, quo ſuprema ejus auctoritas, ac infallibilitas utcumque lædatur. Neque enim haſce prærogativas Petro Catholici vindicant, ut privato homini, quo ſanè modo quilibet labi poteſt, atque deficere; ſed ut Catholicorum omnium Paſtori, totiuſque Eccleſiæ

Ca-

Capiti : Lapſum ergo quandoque Petrum, priuſquam prærogativa Capitis potiretur, ultrò concedimus; minimè verò in fidei, morumque doctrina, obtenta jam ſuprema Capitis poteſtate: *Prudens Lector conſideret*, inquit Hieronymus, *Petro illam beatitudinem, atque poteſtatem in futuro promiſſam, non in præſenti datam; quam ſi ſtatim dediſſet ei, nunquam in eo pravæ confeſſionis error inveniſſet locum*. Alia ſunt errata privati hominis, alia Principis; quæque in privato ſtatu commiſſa ſunt, dignitatem in poſterum aſſecutam minimè dedecorant.

Dicent fortaſſis, haud eſſe congruum, hominem tot lapſibus deturpatum, myſtico Eccleſiæ corpori formoſo, immaculato, omnibuſque numeris abſoluto, loco capitis aptatum eſſe. Nimirùm hoc objecto Chriſtus Dominus inſcitiæ redarguitur, ut qui Eccleſiam ſuam recto, debitoque ordine conſtituere neſciverit, ædificando eam in Petro, feliciùſque ſibi res ſucceſſiſſet, ſi Novatorum expectaſſet conſilium. At huic objectioni ſuperiùs jam ſatis abundè fecimus: Præſens enim Eccleſia fideles quidem omnes, ſed bonos, maloſque complectitur, quos in Petro Eccleſiæ figuram, & perſonam gerente congruè admodum ſignificatos, Auguſtinus ſæpè laudatus docet; & aptior proculdubiò hominum regimini peccator eſt dignâ, fructuosâque pœnitentiâ functus, eo qui lubri-

cam

cam humanitatis conditionem numquam eſt expertus, ut jam ex Patribus demonſtravimus.

Sed enim, inquient, lapſus eſt Petrus accepto jam etiam Eccleſiæ moderamine, ut ſcribit Apoſtolus ad Galatas 2. *Sed cùm vidiſſem, quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelii, &c.* Hoc Pauli loco nimiùm abutuntur Pontificiæ infallibilitatis oppugnatores, contenduntque erraſſe Petrum in fidei doctrina; quibus nihil inpræſentiarum repono, tractaturus hac de re ſuo loco diffuſiùs. Sed jam expendendi ſingulatim nobis ſunt errores, & lapſus Divo Petro attributi, fortaſſis etenim haud tales erunt, tantique ponderis, quales eos proclamat mendaciorum parens impietas. Quis namque infidelibus abſque ſolicita, accurataque dictorum ſuorum diſcuſſione fidem adhibendam arbitrabitur?

DISSERTATIO SECUNDA

CAPUT I.

Peccata Divo Petro à Magdeburgenſibus attributa ſingulatim expenduntur.

Ergo peccatorum Petri cathalogum exordiuntur ex facto, quod recenſet Matthæus cap. 14. ibi etenim à Chriſto Domino ſuper aquas gradiente petit Petrus ut ſe accerſat, ac ſuper aquas ipſum adire jubeat. Voti compos efficitur, ſed timore primùm, deinceps dubio correptus, mergi incipit, clamatque ad Dominum, à quo ut modicæ fidei reprehenditur, & è periculo ſalvus educitur. In duas hîc Petrum culpas incidiſſe Centuriatores autumant, curioſitatis ſcilicet, & diffidentiæ,

quorum verba ſubdimus ; *Præter vocationem Petrus ex quadam curioſitate petit, ut evocetur in mare, cùm videret in eo Chriſtum non aliter, quàm in ſolida terra incedentem: ideoque poſtea punitur, & in majora incidit peccata, nempè, in dubitationem: Nam evocatus, primò quidem aliquot paſſus facit: verùm mox adverſum ventum ſentiens, incipit fidei imbecillitate laborare; id quod non mare, neque ulla creatura, ſed Deus cordium ſcrutator protinùs agnoſcit: & hoc peccatum eo pacto manifeſtat, quòd mergi cœperit. Hîc ille exclamat, O Domine, opitulare. Jeſus autem abſque mora, apprehenſa manu, eum extrahit, & palàm peccatum, quod merſioni cauſam præbuerat, revelat, ſingulari eum gravitate, mixta tamen benevolentia, increpans, Modicæ, inquit, fidei, quid dubitaſti?*

At verò quò propiùs intueamur, qua fide, quove candore textum hunc Evangelicum interpretati ſint Magdeburgenſes, ab re non erit Evangelii verba in medium proferre: Matthæi igitur loco laud. iſta leguntur: *Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: Erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans ſupra mare. Et videntes eum ſupra mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes, quia phantaſma eſt. Et præ timo-*

re clamaverunt. Statimque Jeſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiducium, ego ſum, nolite timere. Reſpondens autem Petrus dixit: Domine, ſi tu es, jube me venire ad te ſuper aquas: At ipſe ait, Veni. Et deſcendens Petrus de navicula, ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad Jeſum. Videns verò ventum validum, timuit. Et cùm cæpiſſet mergi, clamavit dicens, Domine ſalvum me fac. Et continuò Jeſus extendens manum apprehendit eum, & ait illi, modicæ fidei, quare dubitaſti?

Conferamus nunc Centuriatorum interpretationem, atque ſententiam cum Evangelico textu: Ajunt primò, Petrum ſola curioſitate motum rogaſſe Dominum ſuper aquas incedentem, ut & ſe ſuper aquas gradiri juberet. Si hoc vanum quoddam Petri deſiderium eſt, an putas illud à Chriſto probatum iri? Noſtris etenim curioſitatibus, ac vitiis Deus non aſſentatur. At verò Dominus Petri petitionem approbat, ipſumque ad ſe ſuper aquas venire jubet, *At ipſe ait, Veni*. Nimirùm, quod Chriſto placet, & verbis, ac factis comprobat, veteratoribus hiſce culpa eſt, & ſummoperè diſplicet, ac dummodò Petrus ſit reus, haud verentur, Deum ipſum probatæ curioſitatis arguere. Et Petrus quidem agnoſcens Chriſtum ſuis votis propitium, nihil cunctatur, ſed in mare fluctuoſum utique, ac nimio vento pertumi-

tumidum illicò proſilit, & ſuper aquas progredi incipit. An ne Deus miraculis quoque dat operam, ut noſtris curioſitatibus faveat, & vitia ſecundet? Cuilibet ergo fas erit, ſe vanitatibus immiſcere, cùm eas Deus vel miraculo comprobaverit. Quòd ſi bonorum dumtaxat operum auctor eſt Deus, nec miracula patrat, niſi in confirmationem pietatis, ac veræ fidei, pia ergo fideliſque fuit Petri petitio, quippèquæ tanto miraculo à Deo probari meruit.

Et hac ratione Sancti Patres hunc Evangelii textum interpretati ſunt. Hilarius in cap. 14. Matth. *Et hoc in Petro conſiderandum eſt, fide eum cæteros anteiſſe*. Hieronymus, *Eodem fidei ardore quo ſemper, nunc quoque, cæteris tacentibus, credit ſe poſſe facere per voluntatem Magiſtri, quod ille poterat per naturam: Jube me venire ad te ſuper aquas: Tu præcipe, & illicò ſolidabuntur undæ; leve fiet corpus, quod per ſe grave eſt*. Chryſoſtomus, *vides quòd vehementer Petrus arderet? vides quanta fides ipſius etiam nunc eſſet? Nemo ita ut ipſe Jeſum amabat. Non ſolùm charitatem, ſed fidem etiam oſtendit. Quia enim credebat non tantummodò Chriſtum ſuper mare ambulare, verùm id etiam aliis poſſe concedere, auſus eſt hoc petere, ut cum eo citiùs eſſe poſſet*. Divus Maximus ſerm. 1. in Natali Apoſt. Petri, & Pauli. *Hic eſt Petrus,*

trus, quem Chriſti eſſe confidentiſſimum; ſubjecta veſtigiis ejus maria probaverunt: Nam à Domino ſuo novos ſibi dari in fluctibus greſſus ut fidelis popoſcit, & ut dilectus emeruit. Et ſerm. 2. de eodem Feſto: *Quid ejus ſublimius fide, qui gradiente Domino ſuper aquas, humanæ conditionis oblitus, viam ſibi in fluctibus dari & popoſcit, & meruit; tantaque mentis ejus confidentia fuit, quòd crederet ſe poſſe per fidem, quod ſciebat homini impoſſibile per naturam.*

En quàm pietatis judicium longè diſcrepet ab impietatis opinione? Ubi enim Heterodoxi culpam haud levem, ibi Patres meritum non exiguum: ubi illi curioſitatem vanamque cupiditatem, ibi Patres amorem erga Chriſtum flagrantiſſimum, fidemque maximam interpretantur. Dicent fortaſſe, petitionem miraculorum minimè neceſſariorum ex ſola curioſitate, ac animo tentandi Deum oriri poſſe. Sed hac objectione non tam Petrus, quàm Chriſtus Dominus reprehenditur. Multò ſiquidem incongruentiùs eſt, Deum non neceſſaria facere, quàm hominem non neceſſaria petere; Atqui Chriſtus Petrum exaudit, votaque ejus adimplet, *At ipſe ait, Veni*: miraculum ergo petitum haud eſt prorsùs inutile. Inſtantiæ occurrit Abulenſis quæſt. 168. in cap. 14. Matthæi, inquiens, quòd licet hîc non fuerit neceſſi-

tas eripiendi hominem ab anguſtia, affuit tamen fervor charitatis, qui Petrum impulit ad petendum; hinc id non fuit illicitum, nec curioſum, quinimmò laudabile. Et ſanè Petri poſtulatis numquam Chriſtus fuiſſet aſſenſus, niſi optimis circumſtantiis fuiſſent exornata.

Sed enim, inquiunt, Petrus ob hujuſmodi petitionem punitus fuit, cùm tamen Deus non jam merita, ſed culpas punire ſoleat. Sed quaſnam pænas à Petro Deus exegit? An quòd mergi cæperit? Verùm id quidem; at hoc ei non contigit, quòd petendo peccaverit, ſed ob timorem, & dubium, in quod jam ſuper aquas ambulans incidit. Tantum verò abeſt, ut Petrus ob hujuſcemodi petitionem à Domino punitus fuerit, quin potiùs vota ſua Deo accepta, adimpletaque conſpexit: Vocatus etenim à Chriſto fuit, & ſuper aquas, ut optabat, inceſſit. Quis verò, niſi perditi prorsùs, impiique conſilii homo ea reprobare auſit, quæ Deus ipſe verbis probat, & opere complet?

Et Centuriatoribus quidem ſat eſt, Petrum curioſitatis redarguiſſe, At verò Calvinus procacitati ſuæ haud ſatis factum putat, niſi temeritatis quoque, & ſtultitiæ Petro notas inurat, nec omittit, ut pluribus eum culpis obnoxium reddat, dubitaſſe ipſum, an ille, qui ſuper aquas gradiens ap-

paruit,

paruit, eſſe Chriſtus, an potiùs Dæmonis ſpectrum. Diffitendum ſanè non eſt, Apoſtolos omnes, & Petrum quoque ſub apparitionis initium fuiſſe turbatos, cogitaſſeque ſpectrum eſſe illud, quod ſuper aquas gradiri conſpiciebant: Teſtatur hoc enim Evangelicus textus: *Et videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes, quia phantaſma eſt*. At loquente eis Chriſto Domino: *Habete fiduciam, Ego ſum, nolite timere*, cæteri quidem Apoſtoli dubium minimè depoſuerunt, in illoque diù perſeverarunt, ut ſcribit Marcus cap. 6. *Et plus magis intra ſe ſtupebant .... erat enim cor eorum obcæcatum*: Petrus verò haud ampliùs dubitavit, ſed ſtatim illum agnovit, ac Chriſtum eſſe credidit: fides excitavit amorem, amor fide firmatus eum ad petendum compulit. Quo enim modo niſi illum crediſiſſet Chriſtum, poſtulaſſet ab eo, ut ſibi ſuper aquas deambulare concederet? multoque minus ad invitantis vocem è navicula proſiluiſſet in mare. Cùmque Chriſtus noſtræ temeritati, ac ſtultitiæ minimè blandiatur, Petri poſtulatis haud annuiſſet, ſi eum iſthæc appetendo, temeritatis, ac ſtultitiæ cognoviſſet reum. Jam verò ex Patribus ſuperùs laudatis abundè conſtat, Petrum non jam ſtulto, vel temerario, aut nutabundo animo, ſed amore, fideque ducentibus, pro tanta re Chriſtum Dominum exoraſſe.

Quòd

Quòd ſi inſtet Calvinus, Petri dubium ſatis exprimi in Evangelio, *Domine, ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas*. Illud enim, *ſi tu es*, non eſt firmiter credentis, ſed fluctuantis adhuc animi. Hinc petit ſuper aquas inceſſum, ut tali experimento hujuſce rei certus fiat. At hæc expoſitio minimè probari poteſt: Imprimis Petri petitio efficax fuit, ut oſtendit eventus; ſe enim illicò projecit in mare: Quòd ſi experiendæ rei gratia id à Domino poſtulaſſet, nequaquam ſe in tantum diſcrimen, evidenſque periculum, incertus auxilii, projeciſſet. Deinde, ſi adhuc animo fluctuans è navicula in mare proſiluiſſet, jam nec modico quidem tempore ſuper aquas deambulaſſet, quin protinùs cœpiſſet mergi: Ut enim id ſibi deinceps accidit, eò quòd timuerit, ac hæſitaverit; ſic & id ſibi ſub initium contigiſſet proculdubiò, ſi tunc quoque timori, ac hæſitationi fuiſſet obnoxius. Sanè nil potuit aliud ſub ejus pedibus undas inſtabiles ſolidare, quàm amor verus, ac firma fides.

Ergo illud, *ſi tu es*, ut probè Interpretes in hunc locum, haud eſt vox dubitantis, ſed potiùs lætitia geſtientis, ulteriuſque optantis citiùs Chriſtum adire, ut illi, quem ſummo amore proſequebatur, quàm citiùs, ſtatimque conjungeretur. Hæc eſt Patrum jam laudatorum interpretatio:

Auſus eſt hoc petere, ut cum eo citiùs eſſe poſſet, Chryſoſtomus. Pulcherrimè verò Auguſtinus ſerm. 14. de verbis Dom. ſecundùm Matthæum, ubi Petrum hiſce verbis Chriſtum Dominum alloquentem facit, *ſi tu es, non miror, quòd ſolidam carnem ſuper liquentis elementi terga ſuſpendis: Quid enim mirum, ſi conditori ſuo creatura famuletur? Hoc ego non miror: Fac quòd mirer; ambulet Petrus: Fac quòd mirer; Jube me venire ad te ſuper aquas.* Reprimat ergo voces Calvini temeritas, ac ſtultitia, agnoſcatque ſe non tam Petrum, quàm Patres omnes, ipſumque Chriſtum impiè redarguere.

Secundò, ajunt Centuriatores, Petrum ſuper aquas jam ambulantem, fidei imbecillitate laboraſſe. Nemo id inficiabitur: hujuſce etenim rei teſtis eſt ipſe Chriſtus inquiens: *Modicæ fidei quare dubitaſti?* Inveſtigandum eſt tamen qua de re dubitaverit Petrus? Horum namque Scriptorum intentio videtur eſſe, dubitaſſe Petrum de Chriſti veritate, vel utrum poſſet Chriſtus ſe gradientem jam ſuper aquas deinceps regere? Porrò Petrum de Chriſti veritate minimè dubitaſſe, diſertè conſtat ex Evangelio: legitur enim ibi, quòd cùm cœpiſſet mergi, Chriſti ipſius, ad quem feſtinabat, auxilium imploraverit: *Et cùm cœpiſſet mergi, clamavit dicens: Domine ſal-*

vum

vum me fac. Hinc liquet, inquit à Lapide, Petrum non dubitaſſe, quin is, qui apparebat, eſſet Chriſtus; alioqui enim eum in tanto periculo non invocaſſet, ſed Deum, qui eſt in Cœlis, uti ſolent facere naufragi.. Ex hoc conſequens fit, ipſum nec dubitaſſe, an poſſet Chriſtus ſe ſuper aquas deambulantem protegere, alioquin illi ſe neutiquam commendaſſet, nec ejus imploraſſet auxilium.

Defecit itaque Petrus in hoc tantummodò, quòd ventum cernens validiorem, ac mare tumidiùs, timuit, indeliberato quidem timore, motuque primo, ne Chriſtus eum undis relinqueret, & licèt poſſet, nollet tamen eum è mortis diſcrimine liberare. Nimirùm, novum venti, ac tempeſtatis augmentum immemorem eum Chriſti verborum reddidit, quibus ipſum accerſierat: confuſus, obtuſus, ſuaque de vita ſolicitus, haud meminit illius virtutis, quæ undas hactenus ſolidaverat. Homo erat Petrus, humaniſque paſſionibus adhuc obnoxius. Quid mirum ergo ſi mortem timuit, nova præſertim timoris addita cauſa? Momentaneus tamen is timor fuit; dubium enim timore partum excuſſit fides periculo roborata, & verbi virtutiſque Domini recordatus clamavit inquiens, *Domine ſalvum me fac*. Auguſtinus nuper laudatus: *Titubatio iſta, fratres, quaſi mors fidei fuit, ſed ubi ex-*

clamavit ; fides iterum reſurrexit. Divus Maximus ſerm. 1. in Nat. Apoſt. *Ne quis ergo timorem hunc glorioſiſſimi Petri ducat in vitium ; quoniam timor iſte quamvis primam ejus turbaverit fidem, confidentiam tamen in eo reparatæ credulitatis ornavit.*

CAPUT II.

Secundus lapſus Petro attributus examinatur.

SEcundum Petri lapſum, & horrendum quidem, colligunt Centuriatores ex Matthæi 16. ubi Chriſtum docentem Apoſtolos omnes paſſionem ſuam, & mortem, Petrus increpat inquiens: *Abſit à te, Domine, non erit tibi hoc.* Sed increpationis ſuæ effectus is fuit, quòd verba illa; haud ſanè mediocris reprehenſionis audire meruit: *Vade poſt me Sathana, ſcandalum eſt mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Multi ſunt in hoc facto Magdeburgenſes, illudque, ut ſuæ par eſt impietati, in Petri odium, atque contemptum exaggerant, ac magnifaciunt: *Sed paulò poſt*, inquiunt, *fœdum, & horrendum lapſum committit. Mox enim incipiebat Chriſtus magna gravitate docere de ſua paſſione, & quidem*

ita

ita expreſſè , ut diceret , Seniores , Scribas , ac Principes Sacerdotum ſeſe brevì occiſuros : ſe tamen tertia die reſurrecturum eſſe . Hîc Petrus Dominum apprehendens, eum increpat , quòd hujuſmodi luctuoſas res animo verſet , & diſſuadet ſummoperè, ne ſe paſſioni dedat . Abſit , *inquit* , à te Domine , non erit tibi hoc . *Perſuadebat autem ſibi Petrus, ſeſe peculiari hac in parte prudentiâ excellere ; ideo ſignificat , ſe potius hortatorem eſſe , ut paulatim , tamquam verus Meſſias , ad majores gradus dignitatum , & honorum aſcendat . Sed Dominus reſpondet :* Vade poſt me Sathana , ſcandalum es mihi , non ſapis ea , quæ Dei ſunt , ſed quæ hominum . *Hiſce verbis certè horrendus lapſus deſcribitur , quo quidem æternam ille meruiſſet damnationem , niſi ex ingenti miſericordia eſſet retractus, nec dubium eſt, quin ſeriò tantum peccatum fuerit deprecatus .*

Sic textum hunc evangelicum interpretatur impietas . Dant quod habent, Centuriatores ; neque mirum , ſi cloacæ ingratum jugiter odorem eructent . Et Petrum quidem hoc in facto peccaſſe , minimè detrectaverim ; id enim ferè omnibus eſt inconfeſsò . At verò peccatum hocce fœdiſſimum , horrendumque fuiſſe , atque æternâ dignum punitione , id licèt ab hæreticis hiſce tanto ſtrepitu conclametur, nihilominus tamen mi-

nimè

nimè credendum arbitror, quinimmò aſſeverandum, hunc Petri lapſum extitiſſe leviſſimum, & cui ſatis ipſe fecerit, Chriſti Domini redargutionem æquo, atque pacato ſuſcipiens animo. Neque hæc ex nobis dicimus, ſicut ſua ex ſeipſis Hæretici, ſed Sanctorum inſiſtendo veſtigiis. Hilarius in cap. 14. Matthæi: *Et hoc in Petro conſiderandum eſt, fide eum cæteros anteiſſe; Nam ignorantibus cæteris primus reſpondit, Tu es Filius Dei vivi: Primus paſſionem, dum malum putat, deteſtatus eſt.* Divus Hieronymus in eodem Matthæi cap. *In omnibus locis ardentiſſimæ fidei invenitur Petrus: Interrogatis diſcipulis, quem homines dicerent Jeſum, Dei Filium confitetur: volentem ad paſſionem pergere, prohibet; & licèt erret in ſenſu, tamen non errat in affectu.* Et ſuper cap. 16. *Mihi hic error Apoſtolicus, & de pietatis affectu veniens, nunquam incentivum Diaboli videtur* Magnus quoque Leo ſerm. de Transfigurat. Domini: *Cùm Beatus Petrus, qui ſuperno illuſtratus lumine, de ardentiſſima Filii Dei confeſſione fervebat, contumelias illuſionum, & crudeliſſimæ mortis opprobrium religioſo, ut putabat, & libero faſtidio reſpuiſſet, benigna à Jeſu increpatione correptus, & ad cupiditatem participandæ cum eo paſſionis animatus eſt.*

La-

Lapſum ergo fatemur Petrum, ſed lapſu ſanè leviſſimo; nimius ejus erga Chriſtum amor culpæ hujus cauſa eſt. At verò amoris exceſſus, exceſſus ſunt illi quidem, leves tamen, ac excuſabiles, quorum pœna vel ipſe amor eſt. Cùm itaque firmiter ipſe crederet, Jeſum eſſe Dei Filium: id enim nuper æterni Patris revelatione cognoverat; rem prorsùs abſonam, abſurdamque arbitratus eſt, debere eum tot probris, ignominiiſque ſubeſſe, cruciſque mortem ſubire, quo nil turpiùs, ac ſceleratiùs. Ergo Fide, atque amore compulſus, Jeſum ſeorſim traxit, eumque quòd talia ſibi ipſe prædiceret, hiſce verbis increpuit: *Abſit à te Domine; non erit tibi hoc*; non accidet tibi tam probroſus interitus. Nimirum mentem ejus tanti dedecoris apprehenſio conturbavit, quo in ſtatu id egit, ac dixit, quod ei amor ſuggeſſit. Origenes tract. 1. in Matth. *Petrus indigna hæc Filio Dei vivi arbitrabatur, & indigna Deo patre, qui revelaverat ei. Nec enim revelatum fuerat ei adhuc oportere pati Filium Dei, & occidi talem, & tantum Chriſtum. Cujus affectum quidem ſuſcipiens Jeſus, ignorantiam autem exprobans dixit ei: Vade poſt me, &c.* Nec iis abſimilia ſcribit Chryſoſtomus homil. 55. in Matthæum.

Sed adhuc Magdeburgenſibus ſatis minimè factum videri cuiquam poterit; idque

po-

potiſſimùm ob Chriſti Dominum Petrum redarguentis verba : *Vade poſt me Satana ; ſcandalum non eſt mibi* . Nemo ſiquidem jurè levis cujuſdam lapſus gratiâ diabolo conferri poteſt ; alioqnin cùm juſtus quilibet ſepties in die culpis hiſce levibus ſit obnoxius , jam non immeritò diabolo compararetur ; quod tamen quis dixerit ? Ergo Petrus Diabolo comparatus , quinimmò diabolus dictus , in grave proculdubiò crimen prolapſus eſt : Et ſuffragatur Auguſtinus ſerm. 13. de verb. Dom. ſecundùm Matthæum : *Denique , continuò reprehendit , quem paulò ante laudaverat , & quem beatum dixerat , Satanam appellat ..... Quid miraris , quia paulò ante beatus , poſtea Satanas ? Attende cauſam quare beatus : quia non tibi revelavit caro , & ſanguis , ſed Pater meus , qui in Cælis eſt ..... Quare autem illud , quod horreſcimus , & repetere nolumus ? Quare , niſi quia de tuo , &c.* Nimirùm , Petri lapſus horrori eſt Auguſtino : horrendus ergo , fæduſque fuit ?

At nullus Sanctorum expoſitioni huic aſtipulatur , quinimmò ſententiam longè alteram in laudatis Chriſti verbis agnoſcunt . Et Hilarius quidem in hunc locum , hujuſce Chriſti orationis dictiones ſic cenſet aptandas , ut illæ , *vade poſt me* , primam ejus partem abſolvant , ac ſint Petro dictæ ; ſequentes verò , *Satana ſcandalum es mibi* ,
non

non jam in Petrum, ſed in diabolum, cujus ſuggeſtione Petrus Chriſtum increpuit, prolatæ fuerint. Ait enim: *Sed ſciens Dominus Zabolicæ artis inſtinctum, Petro ait: Vade retrò poſt me; ideſt, ut exemplo ſe paſſionis ſequatur. In eum verò, per quem opinio hæc ſuggerebatur, converſus, adjecit, Satana ſcandalum mihi es.* Suæque interpretationis rationem ſubdidit, inquiens: *Non enim convenit exiſtimare, Petro Satanæ nomen, & offenſionem ſcandali deputare, poſt illa indultæ & beatitudinis, & poteſtatis tanta præconia.* Probat hanc expoſitionem Chryſologus ſerm. 27. de ſcandalo vitando; cenſetque diabolum verba illa crucem, & paſſionem deteſtantia, per Petrum fuiſſe locutum; Chriſtum verò Petrum inter, & Satanam diſcreviſſe, & illi quidem ut poſt ſe iret, ſe imitando juſſiſſe: Satanæ verò ſcandalum exprobraſſe; *Unde,* inquit, *Dominus ſervum poſt ſe mittit, ſcandalum remittit auctori; dicendo ad Petrum: vade poſt me: & diabolo, Satanas ſcandalum mihi es.*

Verùm hæc expoſitio haud omnibus probatur: cæteris enim Patribus, ac Expoſitoribus tota Chriſti oratio Petro referenda videtur; id quod textui conformius eſt, magiſque conſentaneum. Sanè poſtrema illa verba, *quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum*, minimè diabolo, ſed Pe-

Petro eſſe directa, nullus inficiabitur. Porrò verbis hiſce vera continetur ratio, atque cauſa præcedentium illorum, *ſcandalum es mihi*. Communis itaque interpretatio eſt, Petrum vocari hîc quidem Satan, non tamen ut Satan idem ſit ac diabolus, ſed præcisè, ut adverſarium ſignificat: neque enim & pravus ipſe Angelus eadem ratione, qua hebraicè Satan, græcè diabolus appellatur; ſed Satan dicitur, ideſt, adverſarius, eò quòd ſaluti hominum adverſetur, diabolus verò, ideſt, calumniator. Petrus ergo cùm verbis ſuis paſſionem, crucemque deteſtantibus, hominum ſaluti hiſce mediis reparendæ, adverſatus fuerit, jure optimo Satan eſt appellatus. Origenes laudatus, *Satana autem dixit ei, quaſi per ignorantiam aliquid habenti contrarium Deo; quod Hebræi interpretati ſunt, contrarius*. Similiterque exponunt Lyranus, Abulenſis, à Lapide, &c.

Sed non idcircò peccatum ejus horrendum fuit, atque fœdiſſimum; quandoquidem haud prava voluntate, fineque minus recto, ſed ignoranter, amore, optimoque, ut ipſe arbitrabatur, fine, Chriſto ſit adverſatus, & inde culpæ quidem, ſed prorsùs leviſſimæ, ſe obnoxium reddidit. Quod Chriſtus proſtremis verbis innuere voluit, *quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum*. Quaſi diceret, tu humano loque-

ris

ris affectu, crucemque deteſtaris; quia hominum opinione ſceleratum quid eſt, & execrabile: atque in hoc ea ſapis, quæ hominum ſunt, non quæ Dei; cùm longè altera ſit divinorum diſpoſitio decretorum, quorum adhuc es neſcius. Origenes; *Cujus affectum quidem ſuſcipiens Jeſus, ignorantium autem exprobrans, dixit ei: Vade poſt me, quaſi deſiſtenti per ignorantiam, & per ea, quæ non rectè dicebat, ire poſt Jeſum Chriſtum. Satana autem dixit ei, quaſi per ignorantiam aliquid habenti contrarium Deo.* Rem magis explicat Abulenſis, inquiens: *Dicendum, quòd Chriſtus in hoc voluit alleviare peccatum Petri, & ad hoc oſtendit, in quo peccaverat. Putarent enim aliqui peccatum Petri valdè magnum; tum quia præſumpſit Magiſtrum ſuum redarguere, tum quia Chriſtus vocavit eum Satanam, tum quia ſcandalum ſibi eſſe ex illo dixit. Ut ergo non culparetur Petrus plus debito, voluit oſtendere, quale fuit peccatum ejus; & quia graviſſimum genus peccatorum eſt ex malitia facere, oſtendit Chriſtus, quòd Petrus non peccaſſet ex malitia, ſed ex ignorantia, &c.*

Auguſtino horrori eſt non tam Petri culpa, quàm quòd ob eam, leviſſimam licèt, Satan ſit appellatus; ut inde concludat, cautè nobis diſcernendum eſſe *quid de Dei, quid de noſtro*. Atque ut nobis ipſis

 haud

haud nimiùm fidamus, ne ſic humana ſapiendo, à divinis quàm longiſſimè avertamur: ponderat nimirùm hæc fidelium gratiâ, ut Origenes quoque fecerat, inquiens: *Si ergo Petrus propter hoc ſolùm quia dixit: Propitius tibi eſto, & hoc tibi non erit, ſcandalum à Chriſto eſt dictus, quaſi qui non ſaperet quæ Dei erant, ſed quæ hominis: quid eſt dicendum de hominibus illis, qui profitentur ſe diſcipulos Chriſti, non autem ſapiunt quæ ſunt Dei, nec aſpiciunt ea, quæ non videntur, æterna, ſed quæ hominum ſunt aſpiciunt, quæ videntur, & temporalia ſunt?* Hiſce ſimilia ſcribit Chryſoſtomus.

CAPUT III.

Tertius lapſus Petro attributus expenditur.

EXpendamus nunc tertium Petri lapſum juxtà Magdeburgenſium opinionem. Eum verò colligunt ex Matthæi 17. Marci 9. & Lucæ 9. Etenim cùm Chriſtus Dominus aſſumpſiſſet Petrum ipſum, Jacobum, atque Joannem, & duxiſſet illos in montem, fuiſſetque ante eos transfiguratus, ſic eum Petrus eſt allocutus: *Domine, bonum eſt nos hîc eſſe; ſi vis facia-*

mus hîc tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum. Perpendunt hæc Petri verba, ſuumque ad ſenſum trahunt Centuriatores, *ſed in eo quoque*, inquiunt. *Petrus præ aliis impingit : nam viſis iſtis rebus omnibus*, inquit, *Domine, bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis faciamus hîc tria tabernacula, &c. Hîc Marcus, & Lucas addunt. Non ſciebat quid diceret. Peccabat igitur Petrus, quòd extrà verbum Dei, memoriam iſtius rei, cultumque cogitaret inſtituere. Imo & voce Patris cæleſtis iſta ſuperſtitio Petri caſtigatur, & apertè indicatur, ad quid ipſis hæc revelatio prodeſſe debeat, & quid ipſorum ſit officii : Hic eſt*, inquit, *Filius meus dilectus, in quo mihi beneplacitum eſt : hunc audite*.

Ergo totus Petri error in eo eſt, quòd cogitaverit, ac petierit, ut ne transfigurationis myſterium traderetur oblivioni, cultus aliquis de eo, atque memoria inſtitueretur. Interpretatio ſanè notabilis, quamque niſi Centuriatorum ſolertia tetigiſſet, fortaſſis nunquam fuiſſet audita. Non enim Petrus ait, faciamus hîc tria tabernacula, ut ſtabilia tantæ rei monumenta permaneant, ut jugis facti tam glorioſi apud poſteros habeatur memoria, ut tanta dies cultu perpetuo celebretur]; ſed quia *bonum eſt nos hîc eſſe*. Nimirùm, nihil de cultu, alioque monumento cogitans, ſed ut quàm diutiſſimè

mè fruitione illa potiretur, tabernacula conſtruenda propoſuit. Hæc eſt Sanctorum, ac Interpretum expoſitio, & quidem tam textui conformis, ut nil ei congruentius dici poſſit. *Faciamus hic tria tabernacula*: Lyranus, *ad manendum ſcilicet hic continuè*. Abulenſis, *optavit, quòd nunquam inde recederet*. Cornelius à Lapide, *Petrus hic gloria exultans, & quaſi ebrius, volebat in ea hærere, & permanere, ut jugiter illâ frueretur*. Hiſce Expoſitoribus addamus Leonem Magnum ſerm. de Transfigurat. Domini. *His ergo Sacramentorum revelationibus Petrus Apoſtolus incitatus, mundana ſpernens, & terrena faſtidiens, in æternorum deſiderium quodam mentis rapiebatur exceſſu, & gaudio totius viſionis impletus, ibi cum Jeſu optabat habitare, ubi manifeſtâ ejus gloriâ lætabatur.*

Sed ut Petrus de tabernaculis cogitaverit extruendis in cultum, atque memoriam Dominicæ Transfigurationis, numquid culpæ reus habendus idcircò erit? Impium hoc dogma eſt cultum Deo debitum abolens, ſuoque nomini Templa conſecrata proſternens. Fallor, ſi Petrum in ſuis quoque Epiſtolis coarguere non auſint, quòd montem à Chriſto ſuæ delectum transfigurationi, ſancti vocabulo exornaverit, *& hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto*. Epiſt. 2. cap. I.

cap. 1. Fallor quoque, ni Diocletiano ſuffragentur, quòd Templa Chriſtianorum edixerit proſternenda. Sed ne extrà propoſitum divagemur, videri poteſt Bellarminus tom. 1. cont. 7. ubi de Templorum dedicatione plurimùm diſſerit. Interim, quòd Petro, motivis mox recenſendis, minimè conceſſum fuit, vota poſterorum obtinuerunt. Refert enim Nicephorus lib. 8. cap. 30. S. Helenam in Tabor ob memoriam Transfigurationis pulcherrimum extruxiſſe Templum, illudque amplis reditibus ad miniſtros alendos dotaſſe. Addit Beda tract. de locis ſanctis cap. 17. in Transfigurationis Chriſti coram Elia, & Moyſe memoriam, in monte Tabor ædificatas eſſe tres Eccleſias juxtà Petri votum. Satis itaque factum eſt Magdeburgenſium objectioni.

At verò numquid Petrus iſthæc poſtulando, omni prorsùs culpa caruit, nullumque incidit in errorem? Et quidem quòd ejus petitio minimè perfecta fuerit, disertè tradunt Marcus, & Lucas, addentes, *non enim ſciebat quid diceret*. Hinc inquit Damaſcenus: *Non eſt tibi bonum, o Petre, quòd Chriſtus ibi moretur: non enim obtineres claves regni; nec mors abolita eſſet tyranni, ne quæras ante tempus felicia, &c.* Aſſeverandum nihilominus eſt, Petrum verbis ſuis nullius culpæ reum evaſiſſe: quod ex Marci Evangelio haud obſcurè deduci

po-

poteſt: *Neſciebat*, inquit, *quid diceret*; hujuſque rei cauſam ſubnectit, *erant enim timore exterriti*: Jam verò ſi Petrus timore correptus ea profudit verba, abfuit igitur deliberatio, debitaque advertentia, indeque abfuit culpa, quæ eſt pravæ deliberationis effectus. Quòd ſi mavis verba illa ex abundantia gaudii, atque lætitiæ ex ore Petri excidiſſe, idem prorsùs convincitur, cùm gaudium exuberans non minus, imo plus quàm timor deliberationem impediat. Chryſoſtomus: *Vides quanto Chriſti fervore incendebatur, non enim quærere debes, quàm prudenter hortabatur, ſed quàm fervens charitate Chriſti, quàmque inflammatus eſſet*. Divus Leo nuper laudatus: *Domine bonum eſt, &c. ſed huic ſuggeſtioni Dominus non reſpondit, ſignificans, non quidem improbum, ſed inordinatum eſſe quod cuperet, cùm ſalvari mundus, niſi Chriſti morte non poſſet, &c.*

Quocirca minime probanda eſt Origenis interpretatio, opinantis Petrum ſpiritus mali ſuggeſtione hujuſmodi verba protuliſſe, ſed amplectenda potiùs eſt Tertulliani ſententia lib. 4. contra Marcionem cap. 22. contendentis, id Petro ob ecſtaſin accidiſſe: *In ſpiritu enim homo conſtitutus, præſertim cum gloriam Dei conſpicit, vel cùm per ipſum Deus loquitur, neceſſè eſt excidat ſenſu, obumbratus ſcilicet virtute divina*.

vina. Licèt verò ibidem Montani paracleti ſui cauſam agat, in hoc tamen Montaniſta non eſt. Quod ulterius comprobatur ſapientiſſimâ Divi Ambroſii expoſitione in Evang. Lucæ: *Delectatus eſt Petrus, & quem ſæculi hujus illecebroſa non caperent, gratia reſurrectionis illexit. Bonum eſt*, inquit, *nos hîc eſſe. Hinc & ille, diſſolvi enim, & cum Chriſto eſſe, multò meliùs. Nec laudaſſe contentus, non ſolùm affectu, ſed etiam factorum devotione præſtantior, ad ædificanda tabernacula tria impiger operarius communis obſequii miniſterium pollicetur; & quamvis neſciret quid diceret, tamen pollicebatur officium, in quo non inconſulta petulantia, ſed præmatura devotio fructus pietatis accumulat: nam quod ignorabat, conditionis fuit, quod promittebat, devotionis..... Denique placuit tanta devotio Deo.*

CAPUT IV.

Quartus lapſus Petro attributus expenditur.

Quartò, Petrum non jam ſolum, ſed unà cum cæteris Apoſtolis lapſum ajunt, dum Matthæi 18. Marci, & Lucæ 9. de majoritate altercantur, proque primatu litem inſtituunt, ut quilibet vel ſe cæteris præferri, vel nemini ſubeſſe appetat. Et quidem inter præcipuos hujuſce contentionis auctores, conjecturâ, ut putant, non improbabili, Petrum recenſendum autumant: *Eſt Petrus*, inquiunt, *etiam unus ex diſcipulorum numero, & fortè non poſtremus, qui agitat quæſtionem, quis inter ipſos futurus eſſet maximus? Quam quidem inſcititiam, & ambitionem Chriſtus gravi oratione crebrò retundere cogitur.*

Inficiandum proculdubiò non eſt, Apoſtolos, qui de primatu concertaverunt, omni prorsùs culpâ non caruiſſe: habetur enim in ſacro Evangelii textu, Chriſtum Dominum, ut eos ab elatione, ambitioneque, quâ ferebantur, ad humilitatem revocaret, puerulum quemdam eorum in medio conſtituiſſe, illiuſque ſimplicitatem eis imitandam propoſuiſſe, modò regni cælorum com-

potes fieri vellent. Quin addit Marcus, vel ipſiſmet Apoſtolis innotuiſſe, ſed de re minimè licita contentionem excitaſſe: narrat etenim, eos in itinere dum Capharnaum peterent, diſceptaſſe; at cùm jam eſſent domi, eoſque Chriſtus interrogaſſet, quo de in via habuiſſent ſermonem, tacuiſſe omnes: *At illi tacebant, ſiquidem in via inter ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet?* pudor ſcilicet eorum obſtruxit ora, & linguas detinuit; ne ſuam divino magiſtro ambitioſam exponerent quæſtionem. *At illi tacebant*: Lyranus, *verecundia ducti; cujus cauſa ſubditur. Siquidem in via, &c. quando in eis erat verecundum, & reprehenſibile, cùm Magiſter eorum eſſet humillimus, & immediatè eis prædixerat humiliationem ſuæ paſſionis.*

Sed eratnè Petrus cum cæteris Apoſtolis, dum inter eos hæc mota fuit altercatio? Negandum id videtur Eminent. Bellarmino, ſuæque opinionis hanc rationem affert: *Nam*, inquit, *cùm dixiſſet Matthæus cap. 17. extremò, Petrum eſſe miſſum ad mare; ſubjungit initio cap.* 18. In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum dicentes: Quis putas major eſt. *Quibus verbis indicat, abſente Petro quæſtionem illam fuiſſe motam: ſiquidem in illa hora, qua Petrus ad mare amandatus fuerat, diſcipuli cæteri Dominum adiverunt.*

Hæc quidem opinio probatur mihi; quatenus aſſerit, abſente Petro, inter Apoſtolos de primatu litem fuiſſe obortam. Præcipua ſiquidem hujuſce quæſtionis ea extitit cauſa, quòd cernerent Apoſtoli, Petrum ferè in omnibus à Chriſto Domino eis præferri. Audierant novi nominis, magnæ proculdubio auctoritatis, impoſitionem; neque obliti erant verborum Chriſti, quibus prædixerat, daturum ſe illi Regni Cælorum claves: Adverterant quoque, inter tres à Chriſto ituro ad montem electos, Petrum primo fuiſſe loco deſtinatum: nunc verò in tributi ſolutione, Chriſtum ſibi quaſi æqualem feciſſe Petrum, clarèque admodum caput eum omnium deſignaſſe; huic etenim tributo familiarum tantummodò capita obligabantur, Chriſtus verò juſſerat Petro, ut pro ſe, quoque ipſo tributum ſolveret, *da eis pro me, & te*. Hoc igitur ultimo Petri prælationis argumento nonnihil moti, cæperunt ſeipſos inter ſubmurmurare, deque primatu altercari, ſolicitus quilibet de ſe inter primos promovendo. Chryſoſt. in hunc Matth. loc. *Humanum quid paſſi diſcipuli ſunt, quod Evangeliſta quoque ſignificavit, dicens*: In illa hora, *quando ſcilicet cæteris omnibus Petrum prætulit. Nam cùm ex Jacobo, & Joanne alter primogenitus eſſet, nihil tamen tale pro ipſis feciſſe videtur; veriti autem turbationem profiteri ſuam,*

ſuam; non apertè, quare Petrum ipſis præponeret, ſed confusè, quis ergo major eſt, *interrogarunt*. *Quando tres illos præferri conſpexerunt, nihil tale paſſi ſunt: cùm verò ad unum delatus honor eſt, tunc nimirum doluerunt; quamvis non ex hac re ſolùm, ſed ex aliis quoque multis inflammati fuerant: tum quia dixit illi:* Dabo tibi claves Regni Cælorum, *tum quia*, Beatus es tu Simon Bar-iona: *tum etiam hîc*, da eis pro me, & te: *tum denique quia liberiùs eum multò Chriſto colloqui conſpiciebant*. Iis ſimilia interpretantur Origenes, Euthymius, Beda, &c. Quibus addamus Hieronymum ſic exponentem, *quia viderant pro Petro, & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate prætii arbitrati ſunt, Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum, quia in redditione tributi Domino fuerat comparatus; ideo interrogant, &c.* Si hæc itaque præciſa, vel præcipua fuit cauſa, cur Apoſtoli de primatu controverſiam excitarint: conſequens veroſimillimum eſt, inter eos, dum iſthæc tractaverunt, minime fuiſſe Petrum; quippè de quo nonnihil, & acriùs fortaſſe ea in quæſtione locutum fuerit.

Videtur tamen opponi poſſe, comperiri ex Evangelio Divi Marci, Petrum quoque Apoſtolis litigantibus interfuiſſe, ait enim: *Et venerunt Capharnaum. Qui cùm*

domi

domi eſſent, interrogabat eos: quid in via tractabatis? At illi tacebant: ſiquidem in via inter ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet? Et reſidens vocavit duodecim, & ait illis, &c. Porrò unus ex duodecim Petrus abdubiò erat. Quod etiam haud obſcurè innuit Matthæus: ſcribit namque, quòd cùm Chriſtus in ſermone hac de cauſa habito, de proximi correctione, deque offenſarum remiſſione locutus fuiſſet, *ſi autem peccaverit in te frater tuus, &c.* Petrus quò rem accuratiùs intelligeret, à Domino poſtulaverit, quoties fratri in ſe peccanti deberet ignoſcere: *Tunc accedens Petrus ad eum dixit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam eis?* Dominico nimirùm ſermoni interfuerat Petrus; quod ſanè parum eſſet veriſimile, ſi eo abſente cæteri Apoſtoli Dominum adiviſſent, eique ſuam expoſuiſſent quæſtionem.

A priori tamen opinione minimè recedendum arbitror, ſed potiùs Evangelici textus ſunt concordandi. Scribit itaque Marcus, Apoſtolos Capharnaum petentes, in via de primatu contentionem moviſſe, cùmque jam domi eſſent, de quæſtione, quam inter ambulandum habuerant, fuiſſe à Domino interrogatos, qui licèt primùm pudore victi tacuerint; deinceps verè, ut Matthæus narrat, controverſiam ſuam Domino expoſue-

fuerunt. Hoc ergo ordine res proceſſit, nimirùm, Petro ad mare ad piſcem pro tributo piſcandum amandato; Apoſtoli ſubmurmurare, ac altercari cœperunt; reverſo autem Petro, ſolutoque tributo, domum omnes iverunt, cùmque ibi commorarentur, Apoſtolos Dominus interrogavit, qua de re in via pertractaſſent? Et ſanè ſi Marcus de tributi ſolutione, deque Petri ad mare miſſione locutus fuiſſet, res eſſet clarior, & fortaſſis conjectura noſtra conſpiceretur in textu; At nullam hujuſce rei mentionem ipſe facit, Petri humilitate, ut conjectat Chryſoſtomus, intercedente, *Da eis*, inquit, *pro me, & te. Vidiſti honoris excellentiam, vide nunc quanta philoſophia utitur Petrus: hunc enim locum Marcus, qui Petri diſcipulus fuit, ideo non ſcripſiſſe videtur, quoniam ingens hinc honor Magiſtro deferebatur. Sed negationem quidem ille quoque diligentiſſimè ſcripſit: hæc verò, quæ ad Magiſtri laudem pertinent, ipſo forſan deprecante, ne magnifica de eo dicerentur, omninò ſiluit.*

CA-

CAPUT V.

Quintus lapſus Petro attributus expenditur.

JAm verò quintum Petri lapſum deſumunt Magdeburgenſes ex 18. Matthæi, ubi, ut inquiunt, *remiſſionem peccatorum ad ſeptenarium numerum conatur reſtringere. Verùm*, ſubdunt, *Chriſtus ejus opinionem rejicit, ac docet, toties remittendum, quoties petitur venia*. Sed hoc haud ſanè eſt Petri lapſus dinumerare, ſed Petro potiùs culpas affingere, calumniaſque conſtruere. Nemini Patrum, aliorumque Interpretum hactenus viſum fuit, Petrum in hiſce verbis peccaſſe; id tamen, ut cætera, ex penu ſuo aſſeverat impietas. Facti hujus ſeries luculentiùs quoad priora deſcribitur Lucæ 17. ubi Dominus ait: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi, & ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte illi*. Quæ poſt hæc illicò contigerunt, omiſit Lucas, ſed à Matthæo deſcripta ſunt: audiens enim Petrus, Chriſtum in doctrina de fratribus ignoſcendo, ſeptenario uſum numero, quò rem meliùs,

uberiùſque perciperet, poſtulavit; quoties fratribus in ſe peccantibus oporteret ignoſci, numnè ſepties? *Tunc accedens Petrus ad eum dixit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei uſque ſepties?* Sed agnoſcens Chriſtus, Petrum ſententiam ſuam haud ſatis intellexiſſe, diſertè, clarèque ſuam illi mentem aperuit, inquiens, *non dico ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.*

Petrus itaque peccatorum remiſſionem non jam ad numerum ſeptenarium reſtringere ſatagens, ſed verborum Chriſti ſententiam, obſcuram ſibi adhuc, & incompertam, notiorem, clarioremque peroptans, Dominum verbis illis eſt allocutus. Chriſtus etenim quotquot peccata committi poſſunt, ſeptenario deſignaverat numero: *Septimum ſolet pro toto computari; quoniam ſeptem diebus voluitur tempus, & finito ſeptenario, rursùs ad caput reditur, ut eadem forma voluatur: per hujuſmodi formæ revolutionis ſæcula tranſeunt; à ſeptenario autem numero non recedunt.* Auguſt. de verb. Dom. ſecundùm Matth. ſerm. 15. Petrus verò non ſatis adhuc intelligens, an illud, *ſepties*, definitè, ac literaliter accipiendum foret, an verò indefinitè, proque omnibus omninò culpis, rogat Chriſtum, ut illud diſertiùs explicet, dicatque verbis apertioribus, quoties præcisè fratri peccanti

ſit ignoſcendum. Lyranus, *Advertendum eſt, quòd, ſicut frequenter dictum eſt, Petrus tanquam principalis aliquando loquebatur pro ſe, & pro aliis; & ideo audito à Salvatore, quòd offenſa fratris peccantis eſſet remittenda, interrogavit, quotiens eſſet remittenda fratri, & hoc petiit ſi ſufficeret ad ſalutem dimittere ſepties*. Id autem non eſt Chriſti doctrinam oppugnare, atque illi adverſam invehere opinionem, ut perperam impietas autumat, ſed potiùs eſt velle Chriſti doctrinam accuratè perdiſcere, illamque perfectè callere.

Hinc Chriſtus ipſum erudit, docetque, reſpondens: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*; qua quidem miſericordi, benignaque ſententia mentem ſuam aperuit, atque Petri dubium abſtulit. Quaſi diceret, non jam ſepties tantummodò, ut arbitraris, nec decies, ſed ſeptuagies ſepties, innumerabilibus nempe vicibus fratri peccanti, ſeriòque pœnitenti ignoſcendum eſt. Pulchrè verò, eleganterque peccatum omne hocce numero deſignatur, Auguſtino interprete loco nuper laudato; etenim cùm tota lex denario comprehendatur, in undenario eſt tranſgreſſio, ſeptenarius autem omnia complectitur; jam verò ſeptenarius in undenarium ductus ſeptem, & ſeptuaginta conſtituit: hoc ergo numero tranſgreſſionum univerſitas concinnè admo

dum deſignatur. *Obſervet ergo ipſum peccatum, quia numerus undenarius tranſgreſſio legis eſt: lex enim denarius, peccatum undenarius; lex enim per decem, peccatum per undecim. Quare peccatum per undecim? Quia tranſgreſſio denarii eſt, ut eas ad undenarium...... Vis noſſe omnia peccata contineri numero iſto ſeptuageſimo ſeptimo? Septimum ſolet pro toto computari..... omnia enim peccata dixit, quando ſeptuagies ſepties dixit, quia illud undecim ductum ſepties, fiunt ſeptuagies ſepties.*

CAPUT VI.

Sextus lapſus Petro attributus expenditur.

AFferunt deinceps ſextum Petri lapſum ex Matth. 19. ubi Chriſto de regno Dei, deque contemptu divitiarum verba faciente, ipſe inter alios erupit, ſe, & cæteros Apoſtolos reliquiſſe omnia, & ſecutos ipſum; quidnàm igitur pro eo officio recepturi eſſent? *Somniabat autem*, inquiunt, *carnalia quædam præmia Petrus: At Chriſtus manſuetè reſpondet, in futura vita compenſationem expectandam eſſe.*

At verò mihi delirare prorſùs videntur Magdeburgenſes ; nihil etenim in toto illo Evangelii textu comperiri poterit , quo hæc eorum interpretatio probabilis utrumque fiat. Loquitur ibi Dominus de regno Cælorum adipiſcendo , adoleſcentis cujuſdam occaſione, qui eum percontatus fuerat, *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Cui ipſe reſponderat , æternæ fælicitatis iter teneri ſola mandatorum obſervatione ; atque mandata expoſuerat , ut iteratæ adoleſcentis petitioni faceret ſatis : Cùmque is reſpondiſſet, ſe ea omnia ab ſua juventute jugiter cuſtodiviſſe ; & , numquid aliud faciendum deeſſet? Agnoſcens Chriſtus, eum vera locutum, voluntariæ paupertatis conſilium , ſeque illi ſequendum propoſuit , ſi perfectionis, virtutiſque faſtigium exoptaret, *Si vis perfectus eſſe , vade , & vende omnia quæ habes, & da pauperibus , & habebis Theſaurum in Cælo , & veni ſequere me*. At ille hæc audiens , nimium contriſtatus abiit; multarum etenim divitiarum poſſeſſor erat, quas omnes divendere, atque pauperibus impertiri , rem duriſſimam eſt arbitratus.

Et Juvenis quidem diſcedentis mæror ſat indicaverat , mundanis opibus perfectionis faſtigium facilè poſthaberi ; quodque haud benè conveniant divitiæ, & virtus : At quò omnis interpretandi occaſio tolleretur, id ore

ſuo

ſuo Chriſtus diſertè teſtatus eſt, inquiens, *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum Cælorum*. Duram hanc in divites (eos ſcilicet, qui divitiis abutuntur ſuis, in illiſque ſpem ſuam collocant) gravemque ſententiam, quaſi ſat non fuiſſet ſemel pronunciaſſe, iterum, verbiſque gravioribus protulit, dicens, *Et iterum dico vobis: Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Cælorum*. Hæc audientes Apoſtoli, mirati ſunt admodum, & haud ſecus, ac deplorata jam foret omnium ſalus, trepidabundi dixerunt, *Quis ergo poterit ſalvus eſſe*? Nemo eſt, qui in divitum numero non ſit recenſendus, cùm non tam divitiarum poſſeſſio, ac uſus, quàm earum amor, atque cupiditas divitem faciat: ſi ergo divitibus difficillimus eſt regni Cælorum aditus, quiſnàm illuc facilè ingredietur? Sed eos erudiens Dominus, ait, eſſe id quidem hominibus impoſſibile, at minimè Deo, cui nihil impervium, difficile nihil, *Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*.

Suſcipiens tunc Petrus ſermonem dixit, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis*? Horum Petri verborum ſententiam interpretando Magdeburgenſes, ſubdunt, *Somniabat carnalia quædam præmia Petrus*. At quis non cernit, non tam id Petri ſomnium, quàm impie-

pietatis eſſe delirium? Nil hactenus de mundanis præmiis, deque cæleſtibus tantummodo habitus fuerat ſermo: Petri verba ſuperioribus apprimè congruunt, nihilque continent extrà præſentis diſcurſus propoſitum. Prædixerat Chriſtus, mundi hujus divitias æternorum acquiſitionem bonorum perdifficilem reddere; eos verò perfectionis apicem aſſequi, regnumque Cælorum facilè adipiſci, qui ſpretis mundanis omnibus ipſum ſequerentur. Reſpondet Petrus, ſe, & cæteros Apoſtolos voluntatem hanc ejus adimpleviſſe, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*: petit conſequenter, num cæleſti regno potientur, & quænàm illic præmia Deus ipſis elargietur? *Quid ergo erit nobis*? Ubi hîc carnalium excogitatio præmiorum? ubi mundanarum opum affectus? Se carnalibus, mundaniſque omnibus vale dixiſſe, ut Chriſtum ſequeretur, aſſerit Petrus: haud ergo carnalibus, ac fluxibilibus, ſed cæleſtibus, ac immortalibus inhiat præmiis.

Et hæc eſt Patrum, Expoſitorumque rectiſſima hujuſce textus interpretatio: *Petrus*, inquit à Lapide, *ſequens conſilium paupertatis Chriſti, quod adoleſcens ſpreverat, animoſior factus animat Apoſtolos, quòd ipſi ferè ſoli ſecuti ſunt conſilium paupertatis datum à Chriſto; ac ut magis eos exhilaret, rogat, quæ, & quanta eum,*

ce-

cæteroſque Apoſtolos Chriſtum pauperem ſequentes in evangelizando regnum Cælorum, merces, & gloria in eo maneat, ut in propoſito ſuncto ſe, & ſocios confirmet, promoveat, ac accendat. Quæ quidem expoſitio Chriſti reſponſione mirificè comprobatur: Petro ſiquidem talia percontanti, reſpondet Chriſtus, non jam carnalium ei præmiorum vile deſiderium exprobrando, ſed cæleſtem gloriam ipſi, cæteriſque eum imitantibus reſervatam aperiendo, *Amen dico vobis, quid vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael, &c.*

At ſaltem, inquies, inficiandum non eſt, hocce Petri dictum eſſe arrogans, ex inanique obortum gloria; jactat enim ſua merita; proque illis præmia exigit. Sed ènim Dominus in verbis Petri arrogantiam, vanamque gloriam non agnovit; alioquin haud ei præmia, ut ſuæ virtuti debita, retexiſſet, ſed pœnam potiùs arrogantibus, faſtuoſiſque expectandam fuiſſet minitatus. Humili itaque animo, cordeque fidente verba illa protulit Petrus; hinc non ut peccans arguitur, ſed ut virtuti ſtudens, æternorum propoſitione præmiorum exhilaratur. Divus Chryſoſtomus in hunc loc. *Quænàm ſunt hæc omnia, quæ te dicis, beatiſſime*

Pe-

Petre, reliquiſſe? Arundinem, retia, naviculam, univerſumque piſcatorum artificium: hæc tu omnia vocas? Ita, inquit, *ſed non ambitione quadam, aut inani gloria, verùm ut pauperum plebem hac interrogatione introducam*. Origenes tract. 9. in Matthæum, *Et puto, quòd magis confidens Petrus de affectu ſuo, quàm de ipſa quantitate rerum relictarum, fiducialiter dixit, Ecce nos, &c.* Et infrà. *Propterea Petro fiducialiter iſta dicenti, reſpondit promiſſionem iſtam maximam Chriſtus, &c.* Divus Hieronymus, *Grandis fiducia! Petrus piſcator erat, dives non fuerat, cibos manu, & arte quærebat; & tamen loquitur confidenter, Reliquimus omnia*. Nec abſimiliter exponit Hilarius. Tantùm nempè abeſt, ut Petrus in hujuſmodi petitione peccaverit, quin potiùs majori præmio dignus à Patribus exiſtimetur, tum ob eximiam ejus fiduciam, tùm quòd quis verus ſit Chriſti Apoſtolus explicaverit; is autem ille eſt, qui carnalia, mundanaque omnia ſpernens, nudus nudum Chriſtum imitatur, & ſequitur.

CA-

CAPUT VII.

Septimus lapſus Petro attributus expenditur.

SEptimum Petri lapſum colligunt Magdeburgenſes ex Joannis 13. ubi abſolutâ jam cænâ, cùm Chriſtus Apoſtolorum pedes lavare vellet, *Petrus*, inquiunt. *inſcitia quadam, & prava devotione, negat ſe admiſſurum, ut Chriſtus ſibi pedes lavet in æternum. Reſpondet Chriſtus, ſi te non lavero, non habebis partem mecum. Hic rursùs impingit Petrus, dicens, Non tantùm pedes, ſed & manus, ac caput ſe lotioni præbiturum. Corrigit & hanc inſcitiam Chriſtus, ſatis in hoc propoſito fore, ut pedes laventur.* Duplicis ergo culpæ Petrum in hoc facto reum autumant, tùm quòd primò Chriſti voluntati reſtiterit, tùm deinceps, quòd eamdem Chriſti voluntatem tranſgreſſus fuerit. Et quidem roborari poteſt hæc opinio, eò quòd videatur Petrus inobediens fuiſſe, & Chriſtum Dominum, quem verum Dei Filium jampridem agnoverat, in ſuis operibus reprehendere voluiſſe, quaſi nimirum haud neceſſaria, prorsùsque incongruentia faceret. Hinc Origenes in hunc Joannis locum ait, Petrum te-

temerariè prævenientem fuiſſe locutum.

Sed res non ita conſiderari debet; multa ſiquidem hîc adſunt, quorum inſpectio ad facti hujus intelligentiam perneceſſaria eſt. Firmiter credebat Petrus, Jeſum Deum eſſe: hinc eum veluti objectum omnis honoris, ac reverentiæ humillimè obſervabat; Ipſum ergo ad pedes ſuos proſtratum videns, propriæque conſcius vilitatis, admiratus, conturbatuſque, venerabundus dixit: *Domine, tu mihi lavas pedes? Tu*, qui Rex regum es, & Dominus dominantium, *mihi*, qui vilis piſcator ſum, umbraque, & fumus, *lavas* manibus tuis puriſſimis, ac nitidiſſimis, *pedes* meos lutulentos, & fætidos? *Domine, tu mihi lavas pedes? Tu mihi? Quid es tu? Quid eſt mihi? Cogitanda ſunt potius, quàm dicenda; ne fortè quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua.* Auguſtinus tract. 56. in Joannem.

Et Petrus quidem ad pulverem uſque humiliatus hæc dicens, agnovit quidem quis Chriſtus, quis ipſe eſſet; at altiora myſteria in hoc Chriſti facto latentia nequaquam attigit: Ambroſius lib. De iis, qui initiantur cap. 6. *Petrus non advertit myſterium, & ideo myſterium recuſavit; quòd gravari humilitatem ſervi crederet, ſi ſibi obſequium Domini patienter admitteret.* Hinc Dominus eum docuit, ſe non fruſtrà, &

abſque

abſque cauſa cùm ſuos, tum cæterorum pedes Apoſtolorum lavare velle; quin adeſſe ea in re haud leve myſterium, quod licèt tunc ipſe non cerneret, addiſceret nihilominus abſolutâ lotione: *Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Quod ego facio, tu neſcis modò. ſcies autem poſtea*. Quaſi diceret: Eſto nunc mihi obſequens, neque conſilio tuo meam poſthabeas voluntatem: captivandus eſt tibi priùs intellectus, atque credendum, in meis operibus nil incongruum, vel abſonum inveniri; deinceps verò obſequii, tuæque fidei præmium erit myſterii hujus intelligentia.

At his Petrus non acquievit, veluti argumento recuſationis ſuæ ſatis minimè facientibus: Et quale unquam eſſe poterit tam grande myſterium (fortaſſe ita ſecum locutus eſt) quò mea vilitas obſtringi debeat, ut proſtratum ante ſe patiatur Regem gloriæ, omniumque factorem? Nulla ratio, nullumque argumentum perſuadere mihi unquam poterit, debere vilem terræ vermiculum patienter intueri abjectum ante ſe Deum: Nunquam id fiet, nunquam accidet, *Non lavabis mihi pedes in æternum*. Auguſt. loco nuper laudato. *Nec tamen ille Dominici facti altitudine exterritus, permittit fieri, quod cur fieret ignorabat: ſed uſque ad ſuos pedes humilem Chriſtum adhuc non vult videre, non poteſt ſubſtinere.... Nun-*

quam hoc feram, numquam patiar, numquam ſinam. Divus Cyprianus tract. de ablut. pedum, ſibi attributo: *Ego ſi oportuerit me mori tecum, paratus ſum; hoc enim debeo, hoc amplector: pro te libenter cervicem porrigo percuſſori: ſed Deum meum, & Dominum meum ad pedes meos proſtratum non patior, non audeo ſuſtinere.*

Profunda itaque Petri humilitas, & flagrantiſſimus ejus erga Dominum amor in cauſa fuit, cur pedes ab ipſo ſibi lavari renuerit; & credendum ſanè eſt, quemlibet alium Apoſtolorum idipſum fuiſſe facturum, ſi ab eis, & non à Petro pedum lotio incæpiſſet: Origenis placitum, quòd Petrus poſtremum in lotione locum habuerit, rejicitur ab Auguſtino loc. laud. ſub initium, dicente: *Quis enim non expaveſceret lavari ſibi pedes à Dei Filio? Quamvis itaque magnæ fuiſſet audaciæ contradicere ſervum Domino, hominem Deo: tamen hoc Petrus facere maluit, quàm perpeti, ut ſibi pedes lavarentur à Domino, & Deo: nec putare debemus, hoc Petrum inter cæteros formidaſſe, atque recuſaſſe, cùm id alii ante ipſum libenter, vel æquanimiter ſibi fieri permiſiſſent.... Sed non ita intelligendum eſt, quòd poſt aliquos ad illum venerit, ſed quòd ab illo cæperit: Quando ergo pedes diſcipulorum lavare cæpit, venit ad eum à quo cæpit, ideſt, ad Petrum; & tunc Petrus,*

trus,

trus, *quòd etiam quilibet eorum expaviſſet*, *expavit*. Quod quilibet Apoſtolorum abdubiò expaviſſet, non turbat, nec terret Magdeburgenſes: nec mirum, ſi Chriſtum ante ſuos proſtratum pedes æquo animo paterentur, quando ipſum erroribus ſuis jugiter proculcare nec horrent, nec erubeſcunt.

Addamus Chryſoſtomi teſtimonium homil. 69. in Joannem, *Tu mihi lavas pedes? His*, inquit, *manibus*, *quibus oculos aperuiſti*, *leproſos munduſti*, *mortuos ſuſcitaſti? Habet enim hæc particula magnam ſignificationem; quare non oportuit aliud dicere*, *quàm*, *Tu*, *quod per ſe verbum ſufficiens fuit*, *quo omnia demonſtrarentur*. *Jure autem quiſpiam quæreret*, *quomodo nullus aliorum lavari recuſavit præter Petrum*, *quod non parvi amoris fuit*, *&* *reverentiæ argumentum*? Suaque opinio eſt, Chriſtum Dominum primò lavaſſe pedes Judæ proditoris, deinceps veniſſe ad Petrum: & Judam quidem ſummâ impudentiâ tam humile Chriſti officium admiſiſſe; Petrum verò Judam haud imitatum, id dixiſſe, quod ſibi amor, & reverentia ſuggeſſit: *Arbitror ante omnes proditoris pedes lavaſſe*, *inde veniſſe ad Petrum*, *à quo* *&* *cæteri admoniti ſunt quid eſſet faciendum*. Magdeburgenſibus tamen longè nobilior eſt, atque probatior Judæ procacitas, quàm humilitas

Pe-

Petri; & ſanè quid eſt aliud, Petrum inſcitiæ, pravæque devotionis arguere, quàm proditoris facilitatem extollere?

Inficiandum tamen non eſt, Petrum iterùm reſiſtendo, alicui culpæ ſe obnoxium reddidiſſe; id enim Patres ſat innuere videntur. Auguſtinus certè ipſum ob hanc repugnantiam ægrum vocat, *Tum Salvator ægrum reluctantem, de ipſius ſalutis periculo exterrens, ſi non lavero te*, inquit, *&c.* Origenes verò ejus dictum honoris quidem, & reverentiæ plenum, ſed imperitum aſſerit, *Cæterum hæc loquente Jeſu Petro, diſcipulus reſpondet reſponſum non peritum, ſed ſententiam proficiſcentem quidem ab affectu, & erga Jeſum honoris, & reverentiæ plenam, ſed tamen qua falleretur*: Lyranus in hunc textum, reſponſum ejus indiſcretum appellat, *Licèt Petrus faceret hoc bono zelo, tamen indiſcretè hoc faciebat*: Nihilominus culpam hanc minimè gravem, ſed prorsùs leviſſimam extitiſſe indubium eſt; id ſatis probatur Sanctorum auctoritatibus hactenus prolatis: id Petri fides, & amor, ſummaque humilitas exigunt: id demum ex textu ipſo Evangelico diſertè colligitur; comperiens namque Dominus auctam Petri reluctantiam, ut eum à ſententia deterreret, ait, *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Salutis nempe periculum ei comminatus eſt, ſi ab repugnan-

di

di propoſito non deſiſteret: adhuc ergo charitate potiebatur, quæ gravi culpæ cohærere non poteſt.

Agnovit tunc Petrus, obſequium ſuum haud eſſe tempeſtivum, & quantum diſcrimen ſibi immineret, ſi adhuc obſiſtere fuiſſet auſus; quocirca præterita emendaturus, ſtatim pedes ſuos Chriſto lavandos obtulit, inquiens, *Domine, non tantùm pedes, ſed & manus, & caput*. Et hîc Petrum peccaſſe effutit impietas calumniarum parens; diverſa tamen eſt Sanctorum opinio; Chriſoſtomus. *Quid tum Petrus ardens, & fervore quodam incenſus?* Domine, *inquit*, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput. *In recuſando vehemens Petrus, & in permittendo vehementior, utrumque ex amore*. Nimirum, Petri verba non ſic accipienda ſunt, quaſi reapsè voluiſſet, ut Chriſtus manus etiam ejus, & caput lavaret; ſed denotant ſolummodo animum ad obſequendum jam paratiſſimum; ac malle ſe pati, ut à Chriſto lavetur totus, ſi id juberet, quàm in tantum incidere periculum: Auguſtinus, *At ille amore, & timore perturbatus, & plus expaveſcens Chriſtum ſibi negari, quàm uſque ad ſuos pedes humiliari*, Domine, *ait*, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput. *Quandoquidem ſic minaris, lavanda tibi membra mea, non ſolùm ima non ſubtraho, verùm*

etiam

etiam prima ſubſterno : Ne mihi neges ſapiendam tecum partem , nullam tibi nego abluendam mei corporis partem .

Neque Chriſti reſponſio quidquam habet reprehenſionis ; quinimmò diſertim explicat, & Petrum , cæteroſque Apoſtolos , uno excepto proditore , nullius gravis culpæ reos eſſe . *Dixit ei Jeſus , Qui lotus eſt non indiget , niſi ut pedes lavet , ſed eſt mundus totus , & vos mundi eſtis , ſed non omnes .* Mundi ergo erant Apoſtoli , egebantque ſolummodò pedum lotione ; gratiâ nimirum exornabantur , ſed levia quædam ſupererant expurganda . Divus Bernardus ſerm. in cœna Domini , *Qui lotus eſt non indiget , niſi ut pedes lavet . Lotus eſt , qui gravia peccata non habet , cujus caput , ideſt intentio , & manus , ideſt operatio , & converſatio munda eſt ; ſed pedes , qui ſunt animæ affectiones , dum in hoc pulvere gradimur , ex toto mundi eſſe non poſſunt , &c.* Similiter hunc locum Auguſtinus , cæterique deinceps Expoſitores interpretantur .

CA-

CAPUT VIII.

Octavus lapſus Petro attributus expenditur.

JAm nunc octavum Petri lapſum examinemus; illum verò colligunt Magdeburgenſes ex eodem cap. 13. Joannis, ubi Chriſtus Dominus ſua de paſſione, ac interitu gravem habet ſermonem, noviſſimaque de mutua dilectione Apoſtolis ſuis præcepta commendat. Petrus hæc audiens, ſummo actus dolore, nolenſque dilectiſſimo Magiſtro ſuo ſupervivere, ſe quoque mori promptum, paratumque dixit. Reſpondet Dominus, nunc ſibi moriendum eſſe, ei verò deinceps: ſed inſtat Petrus, ſeque animam ſuam pro ipſo daturum liberè ſpondet: *Deinde*, inquiunt, *Chriſto de ſua paſſione, ad quam modò ſe accingeret, concionante, Petrus præ aliis de ſua conſtantia prædicat: & ipſum Chriſtum de ejus fœda negatione prophetantem, quaſi mendacii arguit, ſe omnino vel mortem cum ipſo ſubire paratum eſſe, tantùm abeſt, ut ſuam imbecillitatem agnoſceret:* Nil tamen mirum, ſi Magdeburgenſes, Calvinus, aliique Heterodoxi Petrum hîc mortalis culpæ reum effutiant; cùm non defuerint ex Catholicis,

qui, ſummâ ſanè impudentia, eum Pelagianorum fuiſſe principem, juxtà Auguſtini doctrinam, ſcribere ſint auſi.

Aſſeverandum itaque eſt, Petrum hîc jurè argui non poſſe, niſi de amoris, ac pietatis exceſſu. Neque enim res iſta nudè conſideranda eſt; alioquin plura, quorum Petrus accuſari poſſit, invenientur. At verò *Judicis officium eſt, ut res, ita tempora rerum, quærere*. Nemo inficiabitur, amorem Petri erga Chriſtum fuiſſe flagrantiſſimum, neminemque Apoſtolorum Chriſtum tam dilexiſſe, quàm Petrum: Arbitratur Chryſoſtomus, Petrum, & Joannem cæteros Apoſtolos longè præiviſſe, *Petrum quidem, quòd Chriſtum valdè diligeret; Joannem verò, quòd à Chriſto inſigniter diligeretur*; nec unquam reprehenſum à Chriſto Petrum, niſi ob amoris exceſſum, *Semper enim deſiderii, & amoris vehementiâ reprehendebatur*: Inſtabat jam ſupremus Chriſti dies: qui veram amicitiam, amoremque ſincerum profitentur, eum hac in occaſione potioribus argumentis teſtari coguntur. Quæcumque amor gerit, pectori frigido videntur errata; nec æquus eſt amantium judex, qui amoris vires ignorat. Præclarè Bernardus ſerm. 79. in Cantica: *Amor ubique loquitur, & ſi quis horum, quæ leguntur, cupit adipiſci notitiam, amet; alioquin fruſtrà audiendum, legendumve*

dumve amoris carmen, qui non amat, accedit: quoniam omnino non poteſt capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodò enim græcè loquentem non intelligit, qui græcum non novit, nec latinè loquentem, qui latinus non eſt; ſic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit.

Et Chyſoſtomus quidem hunc Evangelii locum explanaturus, ab validis, invictiſque amoris viribus ſermonem ſuum exorditur: *Magnum quiddam*, inquit, *dilectio eſt, dilectiſſimi, & igne ipſo vehementiùs ipſum Cælum petit, cujus vim nihil retardare poteſt: quare ejus fervore accenſus Petrus, audito Jeſu, Quà ego vado, vos non poteſtis venire*, inquit, *Domine, quò vadis? hoc autem dicebat non tam diſcendi, quàm ſequendi eum deſiderio*. Totus ergo Petri error exinde obortus eſt, quòd nimis amaverit: ſi magna pollicetur, Deoque ipſi refragari audet, præſumit ut amans; amore ſuas metitur vires, nec imbecillem ſe putat, dum noſcit amantem. Ignoſcendum igitur Petro eſt; & quòd obſtiterit, atque contradixerit, totum denique amori ejus ferventiſſimo condonandum. Quibus verò temeritatis, ac præſumptionis condemnandus videtur, audiant Hieronymum, *Non eſt temeritas*, inquit, *nec mendacium, ſed fides eſt Apoſtoli Petri, & ardens affectus erga Dominum Salvatorem*. Nec abſimilia ſcri-

 bit

bit Hilarius ; *Intantùm enim*, inquit, *& afflicta, & charitate Chriſti efferebatur, ut & imbecillitatem carnis ſuæ, & fidem verborum Domini non contueretur*. Aliud nempè eſt, animi præſumptione propriis viribus majora jactare; aliud verò, amoris fervore virtutem propriam excedentia promittere; audax illud, ac temerarium abdubiò vocari debet, nequaquam iſtud; cùm amor verus haud temerarios, imò magnanimos efficiat homines. *Unde hoc accidit tibi?* inquit Chryſoſtomus, *Ex multo certè amore, & multa voluntate*.

Sed etiam, inquies, adverſæ opinioni patrocinari ingentem Patrum, ac Expoſitorum numerum. Origenes ſuper textum capit. præcedentis, *Petrum itaque ſæpenumerò ſcriptura talem notavit ferventiorem ad promittendum, quæ ſibi videbantur meliora; quemadmodum etiam in eo, quod dixit abſque ulla examinatione, ac veluti ſpernens prophetiam Jeſu de diſcipulis dicentis,* Omnes vos offendemini meâ causâ nocte hac.... *abſque ulla examinatione, & quaſi ſpernens enunciationem Jeſu, dixit ad hoc,* Etiamſi omnes offendantur tua cauſa, ego tamen nunquam offendar: *id quod tum temporis temerarium exiſtens in animo ipſius, etiam in cauſa fuit, ut graviore præ cæteris lapſu peccarit ipſe, Ieſum ter negando ante galli cantum*.

Et

Et tract. 35. in Matthæum, videtur expreſsè ſentire, Petrum in errorem, quem deinceps Pelagius effutiit, incidiſſe; poſt enim plura ad hocce propoſitum pertinentia, minimèque Petro faventia, ſubdit. *Per hoc autem inſtruimur, ut numquam ſine conſideratione aliquid promittamus ſuper habitudinem noſtram humanam, quaſi qui valeamus Chriſti implere confeſſionem ex nobis, aut aliquid præceptorum Dei, ammonente nos Apoſtolo, & dicente*, Noli altum ſapere, ſed time. *Debuerat enim poſtquam audivit, quia omnes vos ſcandalum patiemini in hac nocte, & poſtulaſſe Dominum*, & dixiſſe: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, eſto in me, ut non ego ſcandalizer; & dona mihi præcipuè gratiam hanc, ut in tempore cùm omnes diſcipuli tui fuerint ſcandalum paſſi, ego in denegationem non cadam, nec ab initio ſcandalizer. *Si eum poſtulaſſet, forſitan amotis ab eo ancillis, cæteriſque miniſtris, non denegaſſet*. Arbitratus eſt ergo Petrus ſibi ipſum ſufficere, remotis etiam divinis auxiliis, gratiaque Dei; quod ſanè eſt illud ipſum, quod deinceps impiè docuit Pelagius. Et certè idem auctor Petrum impietatis reum conatur efficere, inquiens ibidem, *Et quoniam non ſolùm inconſideratè, ſed penè etiam impiè dixit. Etſi omnes, &c.*

Ne-

Neque ſolus eſt Origenes, cui ſic de Petro ſentiendum viſum fuerit; haud enim aliter ſcribit Chryſoſtomus homil. 83. in Matth. circa medium, *Cùm enim*, inquit, *dicendum eſſet, opem nobis feras, ne ſcandalizemur, è contrariò nimiùm ſibi arrogans* (Petrus) *inquit*, Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, tamen ego non ſcandalizabor: quamvis omnes id patientur, ego tamen ſolus non patiar. *Ita hæc res ſenſim eum ad tetrum inſolentiæ crimen devehebat.* Et poſt pauca: *Duplex enim crimen erat, tum quia repugnavit, ac reſtitit; tum quia cæteris ſeipſum præpoſuit: imo verò etiam tertium non parvum crimen eum commiſiſſe dixerim, quia ſibi totum impoſuit. His igitur mederi omnibus volens, cadere illum permiſit.* Non levi igitur crimine Petrus obnoxius fuit, juxtà Chryſoſtomi opinionem; & id quidem, quia ſibi totum impoſuit, totum ſcilicet naturæ ſuæ viribus tribuit, contemptis auxiliis gratiaque divina. At verò quid aliud eſt impius error Pelagii?

In eadem ſententia videtur Ambroſius ſup. cap. 22. Lucæ, ſub finem; ubi Petrum jactantiæ, ac præſumptionis reum facit, inquiens, *Hæc autem ideo ſcripta ſunt, ut ſciamus neminem jactare ſe debere: Nam ſi Petrus lapſus eſt, quia dixit*, Et ſi alii ſcandalizati fuerint, ego non ſcandalizabor, *qu alius jurè de ſe præſumat*. Porrò jactare

propriæ naturæ vires, deque illis nimium præſumere, Pelagianum eſt.

Nec alia videtur eſſe Magni Auguſtini doctrina, præſertim tract. 66. in Joannem, ubi Petri reſponſum hiſce verbis expendit, *Quid in animo ejus eſſet cupiditatis videbat: quid virium non videbat. Voluntatem ſuam jactabat infirmus; ſed inſpiciebat valetudinem medicus. Iſte promittebat, ille prænoſcebat. Qui neſciebat, audebat; qui præſciebat, docebat. Quantum ſibi aſſumpſerat Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid poſſet.....* Reſpondit ergo Jeſus, Animam tuam pro me pones? *Itanè facies pro me, quod nondum ego pro te?* Animam tuam pro me pones? *Præire potes, qui ſequi non potes? Quid tantùm præſumis? Quid de te ſentis? Quid eſſe te credis? Audi quid ſis*, Amen Amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges. *Ecce quomodo tibi cito apparebis, qui magna loqueris, & te parvulum neſcis.* Et deinceps ſub finem: *Non tamen pro Domino, quod temerè præſumebat, ſed aliter, quàm putabat. Namque ante mortem, & reſurrectionem Domini, & mortuus eſt negando, & revixit plorando: ſed mortuus eſt, quia ſuperbè ipſe præſumpſit: revixit autem, quia benignè ille reſpexit.* Quid fortiùs, validiùſque in præſumptionem tumoremque Pelagianum proferri poſſet? An non videntur illa verba, *Quid tantùm præſu-*

ſumis? Quid de te ſentis? Quid eſſe te credis? in Pelagium potiùs, quàm in alium quemcumque prolata? omittimus ingentem minorum Expoſitorum ſeriem, Auguſtino, cæteriſque laudatis Patribus concorditer ſubſcribentium.

Sed non propterea recedendum eſt ab iis, quæ ſuperiùs diximus; quinimmò conſtanter aſſerimus, nonniſi impiè dici poſſe, Petrum hîc gravis, ideſt mortalis peccati fuiſſe reum. Neque enim abſque impietatis nota diſertiſſimis Evangelii ſententiis quiſquam refragari poterit. Haud ſemel verò in ſacro Evangelii textu ſcriptum legitur, Petrum hîc non amiſiſſe juſtitiam. Poſtquam enim Dominus trinam Petri magna pollicentis negationem prædixit, ſermonem ſuum Apoſtolos confortando proſecutus eſt; Et poſt aliqua inquit, *Vos autem videbitis me, quia ego vivo, & vos vivetis. In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* At verò ſolius juſtitiæ munus eſt, nos in Chriſto, & Chriſtum in nobis ponere: ſi ergo Apoſtolos in ſe eſſe dicit, ſeque viciſſim in Apoſtolis, jam ergo juſtitiâ potiebantur. Conſulatur Auguſtinus ſuper hunc locum; & tract. ſequenti, comperieturque mentem ejus eſſe, Apoſtolos fuiſſe tunc juſtos.

Proſequitur Dominus, *Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt: omnem pal-*

palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Et auferit quiſpiam, Apoſtolos, aut illorum aliquem mortalis tunc culpæ reum effutire, Chriſto nimirùm Domino refragari, tàm diſertè de illorum munditia, atque juſtitia pronuncianti? Si ſic opinantibus injuſtus eſt Petrus, eoquòd ſibi fidens Domino contradixerit; quo ſanè modo excuſabuntur ipſi ab impietate, qui Chriſto aſſerente Apoſtolos fuiſſe tunc mundos, eos nihilominus immundos fuiſſe autumant?

Præclarè Auguſtinus ſuper hunc textum: *Jam vos mundi eſtis, mundi ſcilicet, atque mundandi; neque enim niſi mundi eſſent, fructum ferre potuiſſent: & tamen omnem, qui fert fructum, purgat agricola, ut fructus plus afferat. Fert fructum, quia mundus eſt; atque ut plus afferat, purgatur adhuc. Quis enim eſt in hac vita ſic mundus, ut non ſit magis magiſque mundandus?... mundet itaque mundos, hoc eſt fructuoſos; ut tantò ſint fructuoſiores, quantò fuerint mundiores.* Mens igitur Auguſtini eſt, Apoſtolos fuiſſe tunc mundos, ſed tamen mundandos adhuc, non ut fierent mundi, ſed ut mundiores evaderent: fuiſſe vites fructuoſas, ſed adhuc purgandas, ut fructuoſiores fierent; vites enim infructuoſas non purgat agri-

 cola,

cola, ſed ſuccidit potiùs, in ignemque conjicit. Nimirum juſti erant, ſed levibus quibuſdam culpis adhuc obnoxii, à quibus mundandi adhuc erant, atque purgandi. En quomodo Auguſtini verba pro adverſa opinione ſuperiùs producta, de peccato mortali minimè loquuntur, aut poſſunt intelligi? Brevior eſt, ſed tamen eadem Chryſoſtomi interpretatio, *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Vides quomodo ſe palmitum curatorem profiteatur? Ego vos purgavi, inquit.* Nimirùm, mundi eſtis, eoquòd vos purgaverim. Si mundi, & purgati ſunt, omnis ergo ab eis abeſt injuſtitiæ, graviſque peccati macula.

Proſequitur Dominus, *Manete in dilectione mea*. Sunt ergo in dilectione ſua, quam ne deſerant hortatur, & jubet. Sed enim qui gravioribus detinentur culpis, ſunt divinæ dilectionis expertes. Et deinceps, *Vos amici mei eſtis*. At verò nemo injuſtus Domini inter amicos adnumeratur; neque enim eſt aliud hominum cum Deo amicitia, quàm ſupernaturalis ipſa juſtitia. Conſulantur & hîc Auguſtinus, & Chryſoſtomus. Et poſt plura: *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia à Deo exivi*. Jam verò injuſtum quemlibet Deus averſatur, & odit. Et poſt aliqua: *Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermo-*

nem

nem tuum ſervaverunt. Sed nec Dei Patris ſunt Apoſtoli, nec ſuum ſervavere ſermonem, ſi injuſti ſunt. Præclara ſunt de Apoſtolorum juſtitia Chriſti teſtimonia hactenus prolata, ut niſi ſummâ impudentiâ contrarium aſſeverari non poſſit.

Sed non deerit fortaſsè, qui haſce Chriſti locutiones, licèt verbis univerſalibus, omneſque Apoſtolos comprehendentibus concinnatas, in ſenſu accommodo intelligendas contendat; non enim raro contingit, orationes quaſdam univerſales haud omnes prorsùs complecti; optimèque conſiſtere talium proprietatem orationum cum unius, vel alterius excluſione. Quo pacto dici poſſe, Chriſtum de Apoſtolorum juſtitia, atque interiori munditia verbis quidem communibus pronunciaſſe; ſed exinde non confici, rectèque concludi, Petrum juſtum, mundumque fuiſſe.

Inficiandum ſanè non eſt, univerſales quaſdam orationes accommodum quandoque ſenſum habere; ſed eum minimè pati poſſe prælaudatas Chriſti locutiones, conſtat imprimis, quia ſi Petrus cenſeri debet immundus, cæteri etiam Apoſtoli ab injuſtitia nequaquam excuſari poterunt. Matthæi etenim 26. dicente Petro. *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Apoſtoli omnes in eamdem delapſi ſententiam idipſum conclamarunt, *Similiter & omnes diſcipuli dixerunt*; fi-

dentes nimirùm & ipſi naturæ viribus, conſiderantesque quid concupiſcerent, non quid poſſent, ut Victor Antioch. exponit, inquiens. *Cùm Petrum, cæteroſque omnes præcari, & dicere oportuiſſet, adjuva nos, Domine, nec abs te avellas; ſibi, ſuiſque viribus nimirùm confiſi, & temerè promiſere, quæ non præſtitere. Siquidem Dominus nimiam illam, quam præſeferebant audaciam, animique fiduciam caſtigare volens, Petrum quidem in trinam negationem prolabi, cæteros verò omnes per fugam diſpergi paſſus eſt.* Omnium itaque eadem eſt culpæ ſpecies: vel ergo omnes injuſti ſunt; quòd diſertis Domini pronunciationibus adverſatur, vel omnes juſtitiâ fruuntur, ipſe etiam, & præcipuè Petrus.

Deinde, idem Chriſtus ſuum proſequendo ſermonem apertè declarat, loqui ſe de Apoſtolis omnibus illic exiſtentibus, quorum præcipuus erat Petrus; ait enim, *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos. Cùm eſſem cum eis, ſervabam eos in nomine tuo: quos dediſti mihi, ego cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, ut ſcriptura impleatur.* En de quibus hactenus locutus eſt, & deinceps loquitur? de omnibus ſcilicet, uno excepto proditore. Subdit verò, *Et mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo.*

Quia

Quid clariùs, atque diſertiùs dici potuit in Apoſtolorum, Petrique juſtitia commendanda? Hæc eſt perpetua juſtorum, peccatorumque diſcretio, quod hi mundum ſectentur, ad eumque pertineant; illi verò mundum abhorreant, minimèque de ipſo participent.

Subdit deinceps, *Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate*. Audiant qui Auguſtini doctrinis abutuntur, ut Apoſtolorum principem confictis calumniis urgeant; ipſum, inquam, audiant Auguſtinum præfata verba ſic exponentem, *Quæri autem poteſt, quomodo de mundo jam non erant, ſi ſanctificati in veritate nondum erant? Aut ſi jam erant, cur poſcat, ut ſint? An quia & in veritate ſanctificati, in eadem proficiunt ſanctitate, fiuntque ſanctiores? Neque hoc ſine adjutorio gratiæ Dei; ſed illo eorum ſanctificante profectum, qui ſanctificavit inceptum*. Abſoluta igitur Auguſtini mens eſt, Apoſtolos omnes fuiſſe tunc juſtos, ac ſanctos, licèt adhuc ſanctificandos, quò ſanctiores fierent: Quocirca adverſæ opinioni Auguſtinum patrocinari immeritò aſſeveratur.

Et ſat iſta ſunt, ut qui Petrum incuſent, coarguantur erroris. Cæterùm quis non horruerit, Petrum Apoſtolorum principem, Pelagianorum principis titulo dehoneſtari audiens? Petrum, inquam, Apoſtolorum, omni-

nium-

jiciendus eſt hæreſim, qui furtum haud illicitum autumant? Longè hæc abſunt à recto rationis judicio; cùm aliud ſit facere, aliud docere: aliud ſit patrare opus illicitum ex prava opinione; aliud verò rectè ſapere, & in illicitum cadere. Præſumpſit Petrus de ſuæ naturæ viribus; ſed hujuſmodi præſumptionem licitam eſſe nunquam dixit, nuſquam docuit. An putas, ſi Chriſtus, vel unus Apoſtolorum Petro præſumenti percontatus fuiſſet num ſolis naturæ ſuæ viribus fidens, & abſque Dei auxilio, promiſſa complere præſumeret? reſponſurum fuiſſe, ſat ſibi eſſe naturam? Quòd ſi rem tam abſurdam aſſeverare non audes, quo tibi conſilio Petrus pelagianæ hæreſeos princeps habendus eſt?

At verò jam cum Hieronymo, Hilario, atque Chryſoſtomo diximus, Petrum non tumore, ſed amore peccaſſe; ejuſque præſumptionem haud ex elationis, ſed ex nimiæ dilectionis argumento prodiiſſe; aliudque eſſe amoris fervore rem ſupra vires tentare; aliud verò, naturam ſuam rebus omnibus aptam, ſufficientemque, præviâ reflexioue, faſtu quodam aſſerere. Levia ut plurimùm juſti amoris ſunt crimina, ſecumque non levem afferunt pœnam, amoris ipſius ſcilicet vehementiam, qua cauſantur ſimul, & abolentur, puniunturque, vel anteaquam fiant, & ſint. Chryſoſtomus Petri crimen haud parvum vocat: ſed in levium ſerie peccatorum leviora

dan-

dantur, & graviora; & quod in ſerie levium gravius eſt, leve nihilominus eſt. Origenes Petrum penè impiè locutum dixit, ſed impiè locutum non dixit, nec dicere potuit; cùm Petri verba non ex impia opinione, ſed ex nimio amore proceſſerint.

Jam verò Auguſtini mentem paululùm expendamus; & quidem ejus explanationes in evangelicos textus ſuperiùs prolatæ, abundè demonſtrant, ſententiam ſuam eſſe, Petri peccatum fuiſſe leve: Neque ejus verba, quæ pro adverſa producuntur opinione aliud quam hoc ipſum continent. *Voluntatem*, inquit, *ſuam jactabat infirmus*: adhuc ergo ſpirituali vitâ, juſtitiâ ſcilicet, fruebatur, quam ſolum lethale crimen interimit. *In anima itaque Petri contigit, quod offerebat in corpore..... & mortuus eſt negando*: Negatione itaque mortua eſt Petri anima; tum demùm juſtitiâ Petri anima exuta fuit, cùm Chriſtum negando ſpiritualem amiſit vitam, priuſquàm ergo negaret, vivebat ejus anima, ac juſtus erat. *Sed mortuus eſt*, *quia ſuperbè præſumpſit*; *revixit autem*, *quia benignè ille reſpexit*. Nimirùm mortis occaſio præſumptio fuit, ob quam Deus Petro auxilia ne negaret ſubtraxit, eumque ſuis viribus deſeruit, indeque negando interiorem mortem oppetiit. Haud ergo mortuus eſt præſumendo, quaſi præſumptio mors ipſa fuerit, ſed quia mortis occaſio fuit, cùm diſertè

Au-

Auguſtinus ſcribat, *Et mortuus eſt negando.* Satis hæc eſſe debent, ut cuilibet compertum fiat, Auguſtinum non jam adverſæ, ſed noſtræ ſententiæ apertiſſimè ſuffragari.

CAPUT IX.

Nonus lapſus Petro attributus expenditur.

NOnum Petri lapſum deſumunt Magdeburgenſes ex Matth. 26. ubi in horto cum Jacobo, & Joanne vigilare juſſus, unàque cum Chriſto orare, ſtatim ſomno ſe dedit. *Poſteà*, inquiunt, *in horto non ſemel tantùm, ſed aliquoties peccat. Juſſus enim vigilare, & orare cum Chriſto, obdormiſcit, & ſtertit; adeout nominatim etiam à Domino compellaretur, Petre, non potuiſti una hora mecum vigilare.*

Rem hanc brevibus abſolvemus. Nemo jurè peccati reus haberi poteſt, niſi conſilii compos, ac voluntatem habens expeditam, incidat in prohibitum. Neque enim culpandus ille eſt, qui aliud facere impotens, in vetitum labitur. Porrò Petrum vel nolentem ſomno fuiſſe captum, atque vigilare amplius non valentem dormire cæpiſſe, Dominus ipſe teſtatur, inquiens, *Sic non potui-*

ſti una horâ vigilare mecum? quo certè loquendi modo nullam ei exprobrat culpam, ſed innuit ſolùm, ut experimento hoc, licèt levi, virium ſuarum infirmitatem agnoſcat; quaſi nimirùm diceret: En vires tuæ, o Petre, qui mihi grandia promittere ſoles? Jam nec una quidem hora ſomnum vincere potes, & mortem ſuperare confidis? pollicitus es me jugiter ſecuturum, & jam non ſequeris; cùm me orante non ores, ſed ſomno victus obdormias. Hieronymus, *Ille qui ſupra dixerat, Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor, nunc triſtitiæ magnitudine ſomnum vincere non poteſt.*

Hinc Matthæus, & Marcus Apoſtolorum ſomnum ſatis excuſant dum inquiunt, *Erant oculi eorum gravati*, faticatione ſcilicet, diutina vigilia, ac multo etiam mærore, quod innuit Lucas, *Invenit eos dormientes præ triſtitia*; Hæc autem homines vel nolentes, ac vigilare conantes, dormire cogunt, ut experimento comperitur. Quocirca Cornelius à Lapide textum hunc hac explicat paraphraſi, *Sic non potuiſtis, voluiſtis quidem vigilare, ſed ſomnus ex mærore obortus vos oppreſſit: quare non voluntati, ſed impotentiæ, & infirmitati veſtræ ſomnum hunc aſcribo.* Et ſanè, quòd nullus hîc extiterit voluntatis defectus, quòdve ſomnus iſte fuerit prorsùs involuntarius,

exin-

exindèque omnis expers criminis, diſertè concludunt verba illa Chriſti, *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*, quæ non de ſua, ſed de Apoſtolorum interiori promptitudine, corporeaque imbecillitate dicta ſunt. *Et certè*, inquit Eminent. Bellarminus, *cùm ad multam noctem vigilaſſent, non video, cur tam grave peccatum fuerit à ſomno ſuperari*. Impiis verò Centuriatoribus non ſat fuit verbum *obdormiſcit*, quod evangelicum eſt, ſed in Petri contemptum addiderunt & *ſtertit*; quo quidem commento contemptibiliores fiunt ipſi, ſuamque uberiùs impietatem produnt.

CAPUT X.

Decimus lapſus Petro attributus expenditur.

JAm verò decimum Petri lapſum examinemus, quem extitiſſe graviſſimum impietas aſſeverare non dubitat. Venundederat jam Chriſtum Judas, cumque ſatellitum turba ingreſſus erat hortum, ubi Dominus immorabatur. Id Apoſtoli cernentes, exquiſiverunt ab eo nùm gladios exererent, atque vi vim repellerent aggreſſorem? *Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, quòd futurum erat, dixerunt ei*,

Domine ſi percutimus in gladio? Interim Malcho cuidam Pontificis ſervo audaciùs præ aliis Chriſtum urgenti, manuſque fortaſsè ad eum prehendendum jam extendenti, Petrus educto gladio, proſcidit auriculam. Sed manſuetiſſimus Dominus ut gladium reponeret juſſit; addiditque, hiſce cum conatibus divinæ potius voluntati, quàm flagitiis impiorum obſiſtere: *Quomodò ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri?* Factum hoc iniquo, ut ſolent, in Petrum animo Magdeburgenſes interpretando, inquiunt: *Non diù poſt contra Chriſti interdictum, gladio utitur, temerario, & impio conatu auriculam Malcho Pontificis Miniſtro amputans. Audierat à Domino dici, ſe jam divinitùs paſſioni deſtinatum, atque ea ratione genus humanum redempturum: ibi ipſe violenta vi Dei conſilium in ſcriptura prædictum, quantum quidem in ipſo eſt, conatur impedire.* Magdeburgenſibus, atque Calvino, aliiſque Heterodoxis ſuffragari non pudet Scriptores aliquos Catholicos, Petrum mutilationis, voluntariique homicidii, ac inde mortalis criminis reum arguentes.

Quòd Petrus gladio ſit uſus in Malchum, ejuſque auriculam, contra Domini interdictum, abſciderit, eſt prorsùs falſum: Neque enim Dominus gladii uſum prohibuit, niſi poſtquam petulanti ſervo auricula præciſa fuit. Conſpecto ſiquidem Petri facinore, fer-

ſervorem ejus compeſcuit verbis illis : *Converte gladium tuum in locum ſuum : Omnes enim , qui acceperint gladium , gladio peribunt .* Quibus verbis gladio deinceps utendum , auctoritate utique privata , inhibitum voluit , ut obſervat Tertullianus lib. de patientia , cap. 3. *Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt ; itaque & gladii opera maledixit in poſterum .* Priùs ergo quàm Malchus , in eoque Domini patientia vulneraretur , gladii opus maledictum non fuerat ; quinimmò juxtà legem tunc uſque non abrogatam vim vi repellere , ac repercutere haud erat illicitum , ut inquit Ambroſius in hunc locum , *Lex tamen referire non vetat* . Et jampridem notarat Origenes tract. 35. in Matth. inquiens , *Unus autem eorum , qui erant cum Jeſu ....ſecundùm poteſtatem datam Judæis per legem de inimicis , extendens manum accepit gladium , & percuſſit , &c.* Quod ex eo quoquè diſertè ſatis colligitur , quia non Petrus ſolus, ſed alii quoque diſcipuli occultos geſſerunt gladios , utique Domino opitulaturi ; adventantibuſque militibus , nùm in gladio percuterent , expetiverunt . Chryſoſt. homil. 85. in cap. 26. Matth. *Sed undenàm ibi gladii ſunt inventi ? A cæna , & menſa tunc jam exiverunt , ubi propter agnum gladios eſſe oportuit . Illi verè quoniam audiſſent venturos adverſus eum aliquos eſſe , quaſi Ma-*

giſtrum

giſtrum defenſuri ſecum gladios acceperunt, Immeritò igitur accuſatur Petrus, quaſi Domini interdicta contempſerit.

Equidem Petri factum quoad omnia probare non poſſumus, quod & Chriſto Domino minimè probatum fuit: *Factum tamen Petri*, inquit Auguſt. tract. 112. in Joann. *Dominus improbavit*, *& progredi ultra prohibuit*. Et Chryſoſtomus homil. 85. in Matth. *Propterea Petrus gladio uſus, comminatione, & quidem vehementi reprehenditur*. Videri namque potuit obniti æterno Dei decreto de Chriſti Domini paſſione, ac morte, noluiſſeque Chriſtum illam ſubire, *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Atque temerario nimis conatu gladio fuiſſe uſum: temerarii ſiquidem animi excurſus videtur, tot adverſus armatos milites, atque miniſtros gladium diſtringere: *Peccavit Petrus temeritate*, inquit à Lapide, *quia inſcio, imo invito Chriſto, ſtrinxit gladium, quo ſolus non poterat Chriſtum defendere contra tot armatos milites, & miniſtros*.

Exceſſit itaque Petrus modum, id enim non diffitendum: ſed verò oblivíſci haud debemus amoris illius flagrantiſſimi, quo præ cæteris Dominum proſequebatur. Qui Petri fervorem in amando Chriſtum conſiderat, haud ultrà mirabitur, quòd modum tranſgreſſus fuerit, *Quis enim modus adſit amori?*

ri? Exerit Petrus gladium, in turbam ruit, aggreditur, vulneratque Malchum; amoris hæc omnia ſunt: horum majora progignere amor ſolet; amori igitur ſunt condonanda. Quocirca non jam temerarium, ſed aptiori utique vocabulo, amore flagrantem vocemus Petrum, cùm certè non inſolentiâ, ſed nimio, ferventique affectu hæc ultrà vires aggredi coactus fuerit. *Petrus*, inquit Hieronymus, *hoc fecit eodem mentis ardore, quo cætera*. Chryſoſtomus nuper laudatus, *Quiſnàm eſt unus iſte, qui auriculam ſervi amputavit? Petrum certè fuiſſe Joannes teſtatur, cujus ardentiſſimo animo jurè iſta res attribuitur*. Et in enarrat. brevi ſuper Matth. *Quis hic unus eſt, qui auriculam amputavit? Joannes ait fuiſſe Petrum: ejus namque fervore dignum fuit facinus*. Amore igitur, præſentique Chriſti diſcrimine conturbatus, conſiderare non potuit, ſe hujuſcemodi conatibus dominicis decretis obniti; ſed Chriſto id ei in memoriam revocanti, *Quomodò enim implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri*? ſtatim obſecutus, exceſſum ſuum agnovit, pedemque retulit.

At verò Magdeburgenſes hujuſce facti iniquos eſſe judices, abundè convincitur Chryſoſtomi teſtimonio homil. 85. in Matth. inquientis, *Tu verò diſcipuli quoque amorem pium, & humilitatem conſidera; alterum enim ex diligendi fervore, alterum*

ex

ex obedientia fecerat. Num cùm audiſſet; Mitte gladium in vaginam, *ſtatim obtemperavit, & nuſquam poſtea iſtud fecit*. Nimirùm, quòd illi conatum impium, Chryſoſtomus amoris pii, atque ferventis effectum vocat; opuſque quod illi temeritate dehoneſtatum effutiunt, Chryſoſtomus humilitate, obedientiaque exornatum aſſerit: ubique illi ampliorem incuſandi Petri materiem ſuppetere autumant, uberiora illic ad Petri virtutes enarrandas argumenta Chryſoſtomus invenit. Chryſoſtomo ſubſcribit Ambroſius lib. 10. in Luc. cap. 95. inquiens, *Volenti ergo injicit manus turba: nectuntur vincula. O amentes, o perfidi, non ſic comprehenditur ſapientia; nec ſic tenetur juſtitia; nec diſcipulorum ſtudia defuerunt. Denique Petrus eruditus in lege, promptus affectu; qui ſciret Phineæ reputatum ad juſtitiam, quòd ſacrilegos peremiſſet, percuſſit principis ſervum*: Confert Petri facinus facinori Phinees; cenſetque utrumque juſto ex animo prodiiſſe; ex animo ſcilicet ab ſacrilegis Dominum vindicandi: Quod cur Petro ad juſtitiam non reputabitur, cùm illud Phineæ ad juſtitiam reputatum fuerit?

Hilarius verò de Petri operis rectitudine apertè ſatis pronunciat Can. 32. in Matth. inquiens, *Turba omnis adverſus Dominum gladiis armata proceſſerat. Recondi gladium præcepit, quia eos non humano, ſed oris*

ſui

ſui gladio eſſet perempturus : *Cæterùm* , *ſi ſecundùm ſententiam ejus* , *omnis gladio perimeretur* , *qui gladio utitur* : *rectè ad necem eorum gladius exerebatur* , *qui eodem utebantur ad facinus*. Rectè igitur ſe geſſit Petrus juxtà Hilarii calculum ; conatus ejus juſtus fuit juxtà votum Ambroſii ; pietate quoque inſignitus extitit , ut Chryſoſtomus conteſtatur ; neque fides ei defuit , atque devotio , ut Leo Magnus inculcat , inquiens, *Cùm ipſe* , *Jeſus* , *Beatum Apoſtolum Petrum devota fide* , *& charitate ferventem* , *uti adverſum perſecutores gladio vetet* , *&c.* ſerm. 7. de paſſione : Impietatis ergo commentum eſt , Petrum impio conatu in Malchum irruiſſe , ſeque hocce facinore lethali culpæ obnoxium reddidiſſe .

Sed enim , inquies , aſſerere Tertullianum , patientiam Domini in Malcho vulneratam eſſe . At verò non omne vulnus lethale eſt : pleraque vulnera leviſſima ſunt , facilèque ſanabilia . Obiectabis deinceps Auguſtinum lib. 22. contra Fauſtum , cap. 70. ſed tantùm abeſt , ut ibi Auguſtinus reprobet zelum Petri , quin & futuri aliquid magni præſagum exiſtimet ; *Hinc erat* , inquit, *etiam illud Pteri* , *cùm evaginato gladio* , *volens defendere Dominum* , *aurem perſecutoris abſcidit* ; *quod factum Dominus ſatis minaciter cohibuit dicens* , *reconde gladium* ; *qui enim gladio uſus fuerit* , *gladio cadet....*

Quid ergo incongruum ; ſi Petrus poſt hoc peccatum factus eſt Paſtor Eccleſiæ , ſicut Moyſes poſt percuſſum Ægyptium factus eſt rector illius Synagogæ ? Uterque enim non deteſtabili immanitate , ſed emendabili animoſitate juſtitiæ regulam exceſſit : uterque odio improbitatis alienæ ; ſed ille fraterno , iſte Dominico , licèt adhuc carnali , tamen amore peccavit ; reſecandum hoc vitium , vel eradicandum ; ſed tamen tam magnum cor , tanquam terra frugibus , ita ſerendis virtutibus excolendum . Mirum ſanè Petri obtrectatores hoc Auguſtini diſcurſu abuti ; cùm Petri laudibus ſit refertiſſimus , nullumque in eo ſit verbum , quod culpam lethalem ſonet. Equidem aſſeverat peccaſſe Petrum ; at non deteſtabili immanitate , quòd culpa fuiſſet gravis , ſed emendabili animoſitate , odio improbitatis , ac Domini amore , quæ omnia peccatum certè leviſſimum innuunt . Quin cenſet , hujuſmodi Petri zelum promiſſæ jampridem ſupremæ auctoritatis collationem brevî futuram portendiſſe , quod jam Ambroſius notaverat loc. nuper laud. inquiens , *Tollit ergo Petrus aurem : Quare Petrus ? Quia ipſe eſt , qui accepit claves regni Cælorum . Ille enim condemnat , qui & abſolvit : quoniam ligandi idem , & ſolvendi adeptus eſt poteſtatem .* Omitto cætera Auguſtini loca , præſertim lib. 3. de conſenſu Evangeliſt. cap. 5. & tract. 112. in Joannem , ubi haud abſimiliter hoc Petri factum excuſat .

CA-

CAPUT XI.

Undecimus lapſus Petro attributus expenditur.

VNdecimum Petri lapſum deducunt Magdeburgenſes ex eodem Matth. loco, ubi notatur Apoſtolorum fuga, relicto in militum manibus Chriſto Domino: *Ad extremum*, inquiunt, *ubi vident ſuum Dominum vinctum abduci, non tantùm alii Apoſtoli, ſed etiam præclarus, & animoſus ille heros ſimul fugæ ſeſe mandat, & fit deſertor ſui Domini*. Petro, nimirùm, fugam hanc ſpecialiùs exprobrant, innuuntque proculdubiò, eam in ipſo gravius fuiſſe crimen, quàm in Apoſtolis cæteris: loquuntur ſcilicet non ex facti judicio, ſed ex præjudiciis in Petrum congenitis, ut Hæterodoxorum mos eſt. Petrus relicto Domino fugam arripuit: id & reliqui commiſere: ſi hoc turpe fuit, par omnibus eſt dedecus. An idcircò Petri fuga probroſior, quia cæteris ipſe animoſior, atque ferventior? Sed enim hoc ipſum vel fuga probatur ſua: Terror diſperſit reliquos, in abditaque detruſit; ſoli Petrus, ac Joannes paululùm dilapſi, animos reſumpſerunt, atque Chriſtum ſecuti ſunt. Animum reſumpſiſſe laudabile ſanè eſt,

 ſi pro-

ſi probrum fugiſſe fuit ? Vigor Petri pavore repreſſus fuit, ſed non oppreſſus. Ab re ergo præ cæteris incuſatur; cùm cæteris fortior, atque conſtantior fuerit. Chryſoſtomus homil. 85. in Matth. *Ingens hujus diſcipuli ardor fuit, qui nec cæteris quidem fugientibus territus eſt, ſed ſecutus, etiam introivit*: Qua in re Petrum Joanni quoque præponit, ſubdens, *Nam & ſi Joannes quoque id fecerat, ſed tamen notus erat Pontifici.*

At numquid peccaverunt Apoſtoli fugam arripiendo? Res adhuc ſub lite eſt, aſſeverantibus id pleriſque, inficiantibus aliis. Secundæ huic opinioni ſubſcribit Eminent. Bellarminus, pro qua ſic fermè diſcurrit. Si Apoſtoli minimè fugere, ſed Dominum potiùs debuiſſent ſequi, id vel ut Dominum ipſum defenderent, vel ut ſe morti objicerent: At jam intellexerant, Dominum nolle defenſionem ullam pro ſe fieri; nec tenebantur ſe morti objicere, quin potius mandatum acceperant fugiendi Matth. 10. *Cùm vos perſequentur in Civitate una, fugite in aliam*: Paululùm etiam ante Dominus illis prædixerat, debere eos ſibi ſupervivere, *Quò ego vado vos non poteſtis venire*; & Petro, *Quò ego vado non potes me modò ſequi, ſequeris autem poſtea*. Ob talem igitur fugam minimè culpari poſſunt.

Hanc quoque opinionem veriorem arbitratur à Lapide ſuper Matth. 26. inquiens, Quæres, An fuga hæc Apoſtolorum fuerit licita?

cita ? Reſp. Nonnulli putant nullam, aut parvam in fuga hac fuiſſe culpam, eò quòd Apoſtoli fide, & mente interiùs adhæſerint Chriſto, exteriùs verò fugerint, quia Chriſto prodeſſe non poterant, ſed obeſſe. Sapienter ergo fugiſſe, ne ſe in diſcrimen, vel Chriſtum negandi, vel dura patiendi conjicerent: necdum enim receperant robur Spiritus Sancti: hoc enim poſtea receperunt in Pentechoſte; quo recepto, intrepidè ſe Judæis, carceribus, vinculis, flagellis, crucibus, gladiis, leonibus, ignibus objecerunt. Fuit ergo hic fugæ actus ex timore imperfectus, & à perfectione conſtantiæ deficiens; at non illicitus, & ſceleratus. Alii verò cenſent, eum fuiſſe illicitum; quia putant eum proceſſiſſe ex diffidentia Chriſti, quòd videntes eum capi, & obrui à Judæis, priſtinam in eum fidem, & ſpem amiſerint, deſperantes ſe ab eo poſſe juvari, & defendi: Unde eo inconſulto fugerunt; quare ipſo facto, & fuga ſua ejus poteſtatem, ipſumque eſſe Chriſtum tacitè negarunt. Vide dicta verſu 31. ubi dixi, prius videri verius. Apoſtoli ergo fugientes à Chriſto peccarunt venialiter, &c. hactenus à Lapide.

Et huic quidem opinioni ſubſcribendum arbitror, tum ob prædicta motiva, tum etiam, quia nec videtur abfuiſſe Chriſti nutus, quo eis ut in tutum ſe reciperent innuerit. Joannis etenim 18. Chriſtus militibus eum apprehendentibus dixit, ut ſe utique caperent,

Apo-

Apoſtolos verò ſuos incolumes abire ſinerent, *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Quo ſanè loquendi modo ſat Apoſtolis innuere videri potuit, optare ſe, ut illæſi, ſalvique exinde diſcederent: Id quod ipſi promptiùs quàm par erat, modoque minus virtuoſo executi ſunt. Hinc Beda licèt eos debilitatis, atque pavòris arguat, Chriſto tamen petente, turbaque permittente eos aufugiſſe aſſerit, *Nam etſi*, inquit, *turba permittente ad petitionem Domini fugerunt, ſecundùm Joannem; pavorem tamen mentis oſtendebant, & ad fugam promptiores erant, quàm ad patiendi fiduciam.* Quin aliquibus videri poſſet, minimè eos fuiſſe omninò puſillanimos, aut prorsùs timore conſternatos; haud enim vilis ille eſt, qui periculum vel fugâ declinat, ſibi alioquin inſuperabile: Porro neminem inficias iturum puto, in magno tunc Apoſtolos diſcrimine fuiſſe repertos, & quidem tali, quod, excepto miraculo, nonniſi deceſſu, ac fuga potuiſſent evadere.

At mortem potiùs oppetere debuiſſent, quàm Chriſtum deſerere. Conſumatæ virtutis id eſt, qua tunc Apoſtoli non potiebantur: Nullique rem tantam exequi datur abſque Domini voluntate, qui eos tunc non mori, ſed ſupereſſe volebat, *ſinite hos abire.* Urgebis iterum, confidere debuiſſent adfuturam eis Chriſti opem, pro eaque ipſum debuiſſent precari. Virtuoſiùs equidem ſic egiſ-

ſent:

ſent : Cæterùm probè noſcentes poſſe Chriſtum eos ſervare, ancipites verò an id vellet, ut qui ſeipſum ſervatum nollet, fugam arripuerunt, minus utique virtuosè, parùmque fortiter : At qui Apoſtolos eâ occaſione heroica fortitudine exornatos optat, audiat Origenem tract. 35. in Matth. *Nec enim*, inquit, *habebant adhuc ſpiritum, quoniam Jeſus nondùm fuerat honorificatus, nec ſpiritum virtutis, & charitatis; quem ſi habuiſſent, non eſſent infirmati, nec aliquid aliud extrà divinam charitatem egiſſent*. Et ſanè videtur, Apoſtolos voluntate dominum defendendi pavorem primò viciſſe; haud enim pavidi, ſed conſtantis, fortiſque animi vox illa fuit, *Domine, ſi percutimus in gladio?* Deinceps verò Chriſtum voluntariè vinctum, nullumque ampliùs defenſioni locum aſpicientes, fractis viribus, timori ceſſiſſe, fugamque cæpiſſe : Chryſoſt. laud. *Quando etenim comprehenſus eſt, manebant : quando verò hæc ad turbam locutus eſt* (tanquam ad latronem, &c.) *tunc in pedes ſe omnes dedere, nullam jam videntes ejus defenſionem, qui ultrò ſe traderet, ac diceret ſecundùm ſcripturas iſta fieri*.

Adverſæ opinioni ſuffragatur graviſſimus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus diſertè docens, Apoſtolos hac fugâ nedùm corporaliter, ſed mente quoque Dominum reliquiſſe, fidem ſcilicet amiſiſſe. Ait etenim in expoſit.

Pſal-

Pſalmi 68. *Omnes diſcipuli deſperaverunt, quòd ipſe eſſet Chriſtus. A latrone Apoſtoli victi ſunt, qui tunc credidit, quando ipſi defecerunt*. Clariùs, atque diffuſiùs tract. 103. in Joann. Apoſtolis etenim Chriſto dicentibus, *In hoc credimus, quia à Deo exiſti*: Reſpondit ipſe, *Modò creditis? Ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolùm relinquatis*. Hæc Domini verba expendens Auguſtinus, inquit, *Non enim quando comprehenſus eſt, tantummodò carne ſua ejus carnem, verùm etiam mente reliquerunt fidem. Ad hoc enim pertinet quod ait*, Modò creditis, &c. *tanquam diceret, Tunc ita perturbabimini, ut etiam quod modò creditis relinquatis. Venerunt enim ad tantam deſperationem, & ſuæ priſtinæ fidei, ut ita dixerim, mortem, quanta apparuit in illo Cleopha, qui poſt ejus reſurrectionem cum illo ſe loqui neſciens, & quid ei contigerit narrans, Nos*, inquit, *ſperabamus, quòd ipſe fuerat redempturus Iſrael. Ecce quomodò eum reliquerant, deſerendo etiam ipſam fidem, qua in eum ante crediderant*. Genuina itaque Auguſtini mens videtur eſſe, Apoſtolos deſperatione, ac infidelitate in fugam converſos, eorumque fidem extinctam prorsùs fuiſſe. Subſcribunt Theologi plures, alios Patres pro hac opinione laudantes.

Sal-

Salvâ reverentiâ Doctorum Principi debitâ, in priori jamque probata ſententia ſiſtendum arbitramur, quæ communior jam eſt, ac inter Theologos plauſibilior. Certè Canus lib. 4. de locis, cap. 5. & Eminentiſs. Bellarminus lib. 3. de Eccl. Milit. cap. 17. adverſam opinionem, qua parte Petrum complectitur, rationi, ſacriſque literis refragari aſſerunt; quâ verò cæteros comprehendit Apoſtolos, ſaltem eſſe minus probabilem. De Petro ſequenti capite fuſiùs pertractabitur: Nunc verò in univerſum loquendo, nil in ſacro Evangelii textu comperitur, quo eos in infidelitatem lapſos aſſerere debeamus: Illud enim Chriſti Domini Matth. 26. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me*, interpretantur noſtri de Apoſtolorum fuga, & alii quali eorum vacillatione ex timore oborta; At verò non omnis, ſed deliberata ſolummodò vacillatio infidelitas eſt, ut ait Bellar. loc. cit. Quin Maldonato probabiliùs eſt, hiſce Domini verbis nec vacillationem aliquam denotari, ſed tantummodò Apoſtolos Chriſtum deſerturos. Quod minimè probaverim, potiſſimùm ob illa Chriſti verba Joannis 16. quæ Auguſtinum in oppoſitam ſententiam pertraxerunt: *Modò creditis? Ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis*: quibus ſat indicat Dominus, Apoſtolorum fugam, atque diſperſionem ex fidei imbe-

 cil-

cillitate, ac vacillatione oborituram.

Quod deinceps afferunt ex Marci 16. *Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt*: Interpretantur de Apoſtolorum lentitudine in Domini reſurrectione credenda, cui cohærere potuit viva fides. Maldonatus cenſet ſyllepſim eſſe, quâ diſcipulorum incredulitas reprehenſa dicitur, eò quòd uni Thomæ fuerit exprobrata, ut ſcribitur Joann. 20. Eſt verò ſyllepſis Scripturæ Sacræ familiaris, ut quâ ſæpiùs utatur. Exempli gratiâ Matthæi 26. Apoſtoli ſubmurmuraſſe dicuntur ob effuſum unguentum. *Videntes autem diſcipuli indignati ſunt dicentes: Ut quid perditio hæc?* cùm tamen Joann. 12. diſertè notetur, id Judæ ſolùm proditori haud gratum fuiſſe, ſuumque dolorem verbis illis declaraſſe, *Dixit ergo unus ex diſcipulis ejus, Judas Iſcariotes, qui erat eum traditurus, Quare hoc unguentum non vendidit trecentis denariis, & datum eſt egenis?* Similiter, Matth. 27. ſcribitur, latrones crucibus affixos Chriſto maledixiſſe; conſtat nihilominus Lucæ 23. alterum latronum in ſcelere permanſiſſe, verbaque impia in Dominum eructaſſe. Lyranus verò arbitratur, Chriſtum hîc non jam Apoſtolorum, ſed aliorum quorumdam cum eis degentium incredulitatem exprobraſſe, quatenus Apoſtolis credentibus jam, atque nar-

narrantibus ejus reſurrectionem ; fidem hactenus non dediſſent.

Illud etiam, quod objectatur ex Lucæ 24. ubi mulieribus Chriſti reſurrectionem annunciantibus, Apoſtolos minimè credidiſſe ſcribitur, *Et viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta, & non crediderunt illis*; parùm promovet: Etenim reſurrectionis articulum Apoſtoli nunquam planè intellexerunt, niſi poſtquàm Dominus eum declaravit, ſcripturarum ſenſum illis aperiendo; quod ſanè contigit facta jam reſurrectione. Haud ergo dici poteſt, Apoſtolos fidem amiſiſſe, eò quòd mulieribus reſurrectionis myſterium recenſentibus non crediderint; quandoquidem hujuſce rei fidem hactenus non habuerant. Quòd liquidò innuitur Lucæ 18. ubi cùm Dominus mortem ſuam, ac reſurrectionem prædicendo, dixiſſet, *Et poſtquàm flagellaverint, occident eum, & die tertia reſurget*, Apoſtoli qua de re loqueretur, aut quid verbis hujuſmodi denotaret, prorsùs ignorarunt, *Et ipſi nihil horum intellexerunt: Erat autem verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur*. Putaverunt nempè, Chriſtum, ut ſæpiùs ſolebat, tunc quoque figurato aliquo, vel parabolico ſermone fuiſſe uſum, ut exponit Lyranus.

Solvendum ſupereſt argumentum acceptum ex cæremoniis, quibus Eccleſia in of-

ficiis Hebdomadæ ſanctæ uti ſolet, quove potiſſimùm innititur Turrecremata. Extinguuntur in matutini recitatione cerei omnes, uno excepto, qui in trigono candelabro ardens relinquitur, ut nimirùm denotetur, Chriſti paſſionis, & mortis tempore in Virgine ſola illæſam, vigentemque manſiſſe fidem; exindeque Eccleſiæ univerſalis ſenſui refragari eos autumat citatus Auctor, qui Apoſtolos fidem tunc quoque retinuiſſe contendunt. Sed hoc argumentum eſt cæteris inefficacius, quandoquidem ſi antiquior Eccleſiæ ritus ſpectetur, auctor eſt Rupertus lib: 5. de Officiis divinis cap. 26. ævo etiam ſuo ultimum quoque cereum extingui conſueviſſe, ſubditque cap. 28. tribus illis noctibus, extinctis luminibus omnibus, novum ignem ex lapide excuti ſolitum. Et quidem luminibus paulatim extinctis denotari Prophetas diverſis temporibus à Judæis occiſos; ultimo verò Chriſtum ipſum ſignificari, ab iiſdem denique interemptum. At novo lumine è lapide deinceps excuſſo, deſignari novum fidei noſtræ fulgorem, ex lapide Chriſto Jeſu Judæorum impietate, ac rabie excutientibus emanatum. Præſentem verò Eccleſiæ ritum interpretari poſſumus doctrinâ Abulenſis quęſt. 14. Prologi in Matth. inquientis, hiſce cæremoniis denotari ſolummodò in ſola B. Virgine tunc fuiſſe fidem explicitam dominicæ reſurrectionis, quâ abſque infidelitatis nota

eo

eo tempore carere potuerunt alii, quippè qui ad Chriſti reſurrectionem explicitè credendam haud fuerint obligati, niſi poſtquàm illius notitiam non jam ampliùs confuſam, ſed apertam, indubiamque obtinuerunt.

CAPUT XII.

Duodecimus Petri lapſus, & quidem verus, expenditur.

ET Petri fuga brevis fuit: Si eum timor in fugam egit, illicò facti puduit, reſumptiſque viribus, culpam emendaturus, Dominum, licèt à longè, proſequi cœpit. Quò te pertrahit amor tuus, Beatiſſime Petre, quò te conjicit fervor tuus? Securus ne illùc intrabis, quò vinctus, multiſque affectus opprobriis tuus Dominus trahitur? Sed enim quid boni expectandum illic diſcipulo, ubi Magiſter tot eſt malis obnoxius? Fortaſſis tuarum memor pollicitationum ad vitam pro Chriſto fundendam generoſo te inſtruis animo? At nuper pavore victus maturare fugam coactus es. Dimetire itaque vires tuas, non amoris flagrantiâ, ſed infirmitate naturæ. Timor ſubitus, ac inſperatus naturæ, & amoris quoque vires effiingere ſolet, ut expertus jam es. Quid quòd Domino adhuc obniteris, qui

te

te modò eum ſequi non poſſe prædixit? Sed jam eum in Pontificis domum detrudit amor, ut finem videat ſuæ potiùs, quàm Chriſti tragediæ: *Et ingreſſus intrò ſedebat cum miniſtris, ut videret finem*.

Prolaberis abdubiò, Petre, teque jam lapſum lugeo: nemo hominibus hujuſcemodi aſſidens innocens exurgit, & quiſquis ſua cum eis colloquia miſcet, mirum ſi denique nil pœnitendum effutiat. Intuetur eum una ancillarum, ſimulque arguit, quòd Chriſti comes fuerit, *Et acceſſit ad eum una ancilla dicens: Et tu cum Jeſu Galilæo eras*. En tempus amicorum adeſt? Eja, Petre, qui amicus, qui conſtans, qui mortem potiùs ſubire, quàm Dominum abnegare pollicitus es: fatere te fortiter non jam ſolùm Chriſti comitem, ut vilis hæc ancillula amoris tui flagrantiſſimi neſcia, arbitratur; ſed amiciſſimum, ac fideliſſimum, conſtantioremque in adverſis, quàm fueris in proſperis: *At ille negavit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis*? O Petri amor inefficax, o vires enerves! Ubi eſt animus ille tuus, quo nuper cruces, mortemque devorabas? Turrim te fortiſſimam arbitrabaris, & jam levi aura proſterneris: Gigantæis te firmatum viribus exiſtimabas, ut vel Chriſti verbis adverſari auſus fueris; nunc voce fœminea oppreſſus jaces. *Sed quid mirum, ſi Deus vera prædixit, homo autem falſa præſumpſit*? Auguſt. tract. 113. in Joann.

Ne-

Neque ſat fuit Petro ſemel Chriſtum negaſſe: negat iterùm, juſque jurandum adhibet: *Et iterum negavit cum juramento. Quia non novi hominem*. Ac veluti jam ſtupidus, & prorsùs rationis expers, negat tertiò; quòve majorem dictis ſuis fidem conciliet, diris ſe devovet, ni verum dicat, *Tunc cæpit deteſtari, ac jurare, quia non noviſſet hominem*. Primum peccatum nec facilè committitur, nec nimis atrox eſſe ſolet: Quòd niſi protinùs dignè purgetur, faciliùs in ſecundum, & quidem gravius, inciditur: Quòd ſi adhuc non reſipiſcitur, nullum eſt tam fædum, tamque horribile facinus, quod deinceps facillimè non perpetretur. Præclarè Gregorius, *Peccatum quod pænitentiâ non deletur, mox ſuo pondere ad aliud trahit*. Id in Petro miſerabili experimento comperitur; negat primò, nec dolet; impingit iterum, & atrocius, nec adhuc recogitat; labitur, & quidem graviſſimè, tertiò: Chryſoſt. homil. 86. in Matth. apud Lyranum, vel potiùs Rabbanus, *Tertiò cæpit deteſtari, & jurare, quia non noviſſet hominem; quia perſeverare in peccato dat incrementum, & qui minima ſpernit, cadit in majora*:

Expendendum jam eſt, an Petrus Chriſtum abnegando lethaliter peccaverit: & an hujuſcemodi peccato interiorem fidem amiſerit? Duo præclariſſimi Eccleſiæ Doctores Hilarius, & Ambroſius Petri caſum

emol-

emollire nituntur ; aſſeverantes eum in hi-
ſce negationibus mendacium vitaſſe ambiguâ
locutione , quatenus ſe non noſſe hominem
dixerit , quem tamen Deum certò cognoverit :
Diligenter autem contuendum eſt , inquit
Hilarius can. 32. in Matth. *quâ conditione*
Petrus peccaverit : Nam primò ait , non ſe
intelligere quid diceret : ſequenti , non ſe
ei adhæſiſſe : tertiò , verè ſe hominem non
noſſe . Et verè propè jam ſine piaculo homi-
nem negabat , quem Dei Filium primus
agnoverat ; tamen quia ex infirmitate car-
nis , vel ambiguus extitiſſet , amariſſimè fle-
vit , recolens , trepiditationis iſtius culpam
ſe , nec admonitum , potuiſſe vitare . Fuſiùs
Ambroſius ſuper 22. Lucæ , cap. 96. ubi
Petri negationes ponderat , juxtà quòd va-
riè ab Evangeliſtis ſingulis enarrantur , ſem-
perque Petri verba ad rectum , probatumque
ſenſum pertrahit : Et omiſſis aliis , ſic textum
Lucæ interpretatur : *Lucas quoque ſcripſit ,*
Petrum interrogatum , utrùm ex illis eſſet?
reſpondiſſe prima voce , Non novi illum . *Et*
benè dixit : Temerarium quippè erat ut di-
ceret , quia noverat eum , quem mens hu-
mana non poteſt comprehendere : Nemo enim
novit Filium , niſi Pater . Rurſùs ſecunda
voce ſecundùm Lucam idem Petrus ait . Non
ſum ego . *Maluit videlicet ſe negare , quàm*
Chriſtum . Aut quia videbatur negare Chri-
ſti ſocietatem , utique ſe negavit : Certè cùm
de

de homine negat; in filium peccavit hominis, ut remitteretur ei, non in Spiritum Sanctum. Tertiò quoque interrogatus ait, Neſcio quid dicas. *Hoc eſt, ſacrilegia veſtra neſcio. Sed nos excuſamus, Dominus ipſe non excuſavit. Non enim ſatis eſt involuta reſponſio confitentis Jeſum, ſed aperta confeſſio. Quid prodeſt verba involuere, ſi videri vis denegaſſe? Et ideò Petrus non de induſtria ſic reſpondiſſe inducitur; quia poſtea recordatus eſt, & tamen flevit. Maluit enim ipſe ſuum accuſare peccatum, ut juſtificaretur fatendo, quàm gravaretur negando: Juſtus enim in principio accuſator eſt ſui: & ideo flevit. Quare flevit? Quia culpa obrepſit ei.*

Sed verò communis Sanctorum, omniumque Expoſitorum ſententia, Petrum culpæ lethalis, & quidem graviſſimæ, reum facit, à qua ob pias Hilarii, & Ambroſii interpretationes recedendum non eſt; licèt crediderim, eos non ut Petrum à lethali culpa vindicarent, ſed ut oſtenderent, ejus verba rectum quoque ſenſum habere poſſe, huiuſmodi expoſitiones invexiſſe; quas veluti probabiles abdubiò complecterer, ni diſertus Evangelii textus obſtaret, gravem Petri lapſum apertiſſimè recenſens: *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis*, ſe Chriſtum verum Deum, verumque hominem abnegaturum prædixit:

quorum ſenſum verborum Petrus ſatis intelligens, ſe mortem potiùs oppetiturum, quàm eum abnegaturum aſſeruit. *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, non te, qui verus es Deus, ut jampridem confeſſus ſum, veriſque Dei Filius, ac verus homo, ut experimento comperior; non te, qui verus es Chriſtus in divina, humanaque natura conſiſtens, nou te negabo: At verò illud idem negavit, quod ſe minimè negaturum audacter ſpoponderat: negavit igitur Chriſtum, verum nempè Deum, verumque hominem.

Quocirca cùm primò ancillæ eum arguenti reſpondit, ut refert Lucas: *Mulier, non novi illum*, illum ſe non noſſe dixit, quem probè noverat, faſſuſque fuerat; alioquin ſi *benè dixit*, ſeque non jam Dei Filium, ſed eum virtute ſua cognoſcere ſe denegavit, jam id ad Chriſti prædictionem non pertinet, quippè quæ in hoc minimè verificata ſit: Cùmque dun deinceps dixit, *Non ſum ego*, juxtà eamdem interpretationem, non jam Chriſtum, ſed ſeipſum negaverit; atque demùm dicens, *Neſcio quid dicas*, illorum ſacrilegia, non verò Chriſtum neſcire ſe dixerit; jam in nullo horum Chriſti prædictio verificata eſt, juxtà quam Petrus ter Chriſtum erat abnegaturus; exindeque vana fuit, & expers eventus. Vera igitur verborum Petri ſententia hæc eſt, *Mu-*

lier

lier, *non novi illum*, ideſt, Jeſum non novi, Chriſtum non agnoſco: Deinceps, *O Homo, non ſum*: Non ſum, ſcilicet, Chriſti diſcipulus. Denique, *Homo, neſcio quid dicis*; ideſt, neſcio hunc, quo de mihi loqueris, Neſcio Jeſum, neſcio Chriſtum. Hæc Chriſtus prædixit; hæc Petrus numquam ſe dicturum aſſeruit; hæc denique Petrus effutiendo, falſa ſe præſumpſiſſe, Dominum autem vera prædixiſſe, ingenti animi ſui mærore compertus eſt.

Hinc Divus Hieronymus ſuper Matth. 26. productas Hilarii, & Ambroſii expoſitiones ſuppreſſo eorum nomine rejicit, inquiens: *Scio quoſdam pii affectus erga Apoſtolum Petrum, hunc locum ita interpretatos, ut dicerent Petrum non Deum negaſſe, ſed hominem; & eſſe ſenſum*, Neſcio hominem, quia ſcio Deum. *Hoc quàm frivolum ſit, prudens Lector intelligit: ſic defendunt Apoſtolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iſte non negavit: ergo mentitus eſt Dominus, qui dixerat*: Amen dico tibi, quia hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. *Cerne quid dicat, me negabis, non hominem*. Fuſiùs, & quidem acriùs Auguſtinus tract. 66. in Joannem, inquiens „ An „ Apoſtolus Petrus, ſicut eum quidam fa- „ vore perverſo excuſare nituntur, Chriſtum „ non negavit, quia interrogatus ab ancilla, „ hominem ſe neſcire reſpondit. Quaſi ve-

„ rò qui hominem Chriſtum negat ; non
„ Chriſtum neget : & hoc in eo negat, quod
„ factus eſt propter nos, ne periret quod
„ fecerat nos. Ergo qui ita confitetur Chri-
„ ſtum Deum, ut hominem neget, non pro
„ illo mortuus eſt Chriſtus, quia ſecundùm
„ hominem mortuus eſt Chriſtus..... Sed
„ quid multis immorer? cùm ipſe Dominus
„ abſtulerit omnes humanæ argumentationis
„ ambages? Non enim ait, *Non cantabit*
„ *Gallus donec hominem neges*.... ſed ait,
„ *Donec me ter neges*. Quid eſt, *Me*, niſi
„ quod erat? Et quid, niſi Chriſtus erat?
„ Quidquid ergo ejus negavit, Chriſtum ne-
„ gavit, Dominum Deum ſuum nega-
„ vit.

„ Et paulò poſt: Si, quod dubitare ne-
„ fas eſt, Chriſtus hoc dixit, verumque
„ prædixit, proculdubiò Petrus Chriſtum ne-
„ gavit. Non accuſemus Chriſtum, cùm
„ defendimus Petrum. Peccatum agnoſcat
„ infirmitas; nam mendacium non habet ve-
„ ritas. Agnovit planè peccatum ſuum in-
„ firmitas Petri; prorsùs agnovit: & quan-
„ tum mali Chriſtum negando commiſerit,
„ plorando monſtravit. Ipſe ſuos redarguit
„ defenſores; & unde eos convincat, pro-
„ ducit lachrymas teſtes. Hactenus Auguſti-
nus, qui videtur ſic etiam intelligere lauda-
tas Hilarii, & Ambroſii expoſitiones, quaſi
cenſuerint Petrum negaſſe Chriſtum eſſe ho-
mi-

minem ; quod, ſalvâ reverentiâ, non eſt verum, ajunt enim, Petrum dixiſſe, ſe non noſſe hominem, quem tamen verum eſſe hominem agnoſcebat, & diffiteri non poterat, nec reapſe inficiatus eſt; Aliud quippe eſt, Non agnoſco hunc hominem; aliud verò, Hic non eſt homo. Utcumque ſe habeat, indubium tamen eſt, Petrum trinâ reſponſione verè ter Chriſtum negaſſe, atque in crimen graviſſimum incidiſſe; quod nihilominus Chriſto reſpiciente, gravi illico dolore, dignâ pœnitentiâ, luctuque amariſſimo emendavit, prorsùſque delevit.

Nam quod garrit impietas, Petri pœnitentiam haud abſolutam fuiſſe, eò quòd culpam ſuam non ſit confeſſus coram Judæis, quibus audientibus Chriſtum negarat, nec ſcandalum abſtulerit, cujus extitit cauſa, inſulſum prorsùs, & impium eſt. Neque enim Judæis, utpotè perverſiſſimis, atque in Chriſti odio obſtinatiſſimis, ullum Petrus ſcandalum dare potuit, quo in tanto ſcelere confirmarentur: Hinc publica negationis ſuæ retractatio infructuoſa penitùs evaſiſſet, ut advertit à Lapide. Cùmque nemo hactenus ſomniarit, Petri pœnitentiam haud omnibus abſolutam numeris extitiſſe; quin Dominus ipſe eam ſolatus ſit amicâ, dulcique amoris expoſtulatione, Joann. 21. ſola Caluini procacitas eam calumniari, atque claudicationis arguere poterat.

Sed

Sed amiſitne Petrus hujuſcemodi negationibus interiorem fidem? Id aliquibus aſſerendum videtur, argumentis quibuſdam ſanè frivolis, quibus propterea minimè ſubſcribendum arbitror. Ergo Petri fides interior illæſa remanſit: Chriſtum verum Deum ex quo primùm æterni Patris revelatione cognovit, firma deinceps fide, minimèque interrupta retinuit; potuit quidem timor verba ex eo extorquere ſenſis interioribus non congruentia, at minimè valuit alteram in eum opinionem invehere, ſuamque fidem proſternere. Id ſatis innuit Lucas cap. 22. ubi Chriſtus Petri fidem minimè defuturam promittit, licèt eam Satanas validiſſimè aggreſſurus jam eſſet: *Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*. Jam verò ſi interior Petri fides defeciſſet, vel ipſo experimento Chriſti prædictio, atque promiſſio falſitatis argueretur.

Aliqui nihilominus textum hunc ſic interpretantur, quaſi Dominus non jam de perſonali fide Petri, ſed de univerſalis ſolummodò Eccleſiæ fide locutus fuerit. Et quidem inficiandum non eſt, Chriſti verba Eccleſiam quoque univerſalem Petri curæ brevî demandandam reſpicere; id enim apertè ſatis evincunt illa. *Et tu aliquando con-*

ver-

verſus confirma fratres tuos: At fidem etiam perſonalem Petri proculdubiò complectuntur, ſervandam utique ab jam imminenti Satanæ invaſione. Chryſoſt. homil. 83. in Matth. *Non dixit quippè*, non negabis, *ſed*, ut non deficiat fides tua: *Curâ enim ipſius, atque favore factum eſt, ne omninò Petri fides evaneſceret: ingens enim pavor eum invaſerat, &c.* Cui quidem expoſitioni concinit Magnus Leo ſerm. 9. de paſſione Dom. inquiens: *Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem adverſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam. Abundavit fletus ubi non defecit affectus; & fons charitatis lavit verba formidinis, nec tardatum eſt remedium abolitionis, ubi non fuit judicium voluntatis.*

Et hæc eſt communior Patrum, Expoſitorum, atque Theologorum opinio, aſſerentium, lapſum quidem Petri graviſſimum extitiſſe, eò quòd Chriſtum, ſeque ejus eſſe diſcipulum abnegaverit: quod fuit adversùs fidei profeſſionem peccaſſe, atque gratiam amiſiſſe, non fidem. Et licèt Auguſt. ſuperiori cap. laudatus ſentire videatur, Apoſtolos fugiendo, Chriſtum, ejuſque fidem deſeruiſſe; nihilominùs tract. 113. in Joann. Petrum abnegatæ ſolummodò fidei profeſſionis redarguit. At lib. contra Mendacium cap. 6. diſertè ſententiæ noſtræ patrocinatur, inquiens: *Quis ita evaneſcat, ut exiſtimet,*

Apo-

Apoſtolum Petrum hoc habuiſſe in corde, quod in ore, quando Chriſtum negavit? nempè in illa negatione intùs veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat. Cur ergo lachrymis diluit, quod ore negaverat, ſi ſaluti ſufficiebat, quod corde credebat? Cur credens in corde ſuo veritatem, tam amaro fletu punivit mendacium, quod ore deprompſit? niſi quia magnam vidit eſſe perniciem, quòd corde quidem credidit ad juſtitiam, ſed ore non confeſſus eſt ad ſalutem. Idipſum Himno primo cecinit Prudentius,

Flevit negator denique
Ex ore prolapſum nefas,
Cùm mens maneret innocens,
Animuſque ſervaret fidem.

Et ſanè cùm interior fides non deperdatur, niſi interiori, ac deliberato diſſenſu, ut Theologis omnibus eſt inconfeſsò; certumque ſit, pavorem ex ore Petri verba illiuſmodi extorſiſſe, quî poterit aſſeri, interiorem quoque fidem ejus evanuiſſe? Certè Auguſt. lib. contra Mendacium cap. 6. cenſet, Chriſtianos ferè omnes, qui Chriſtum in perſecutionibus abnegaverunt, interiorem fidem haud amiſiſſe, *Nonnè*, inquit, *penè omnes, qui Chriſtum coram perſecutoribus negaverunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt?* nimirùm, hujuſmodi negationum verba non jam judicii pravitas, ſed

ve-

vehementia timoris eructat, ut ita labens non quaſi falſitatis aſſertor arcendus ſit, ſed potiùs ut puſillanimis confortandus; quo modo lapſum jam Petri animum Chriſtus eum intuendo refecit, quaſi reſpectu ſuo ita eum allocutus fuerit, ut præclarè Leo Magnus ſerm. 3. de paſſione. *Quid habes, Petre? quid in tuam conſcientiam recedis? ad me convertere, in me confide, me ſequere; meæ paſſionis hoc tempus eſt, nondum tui venit hora ſupplicii. Quid metuis, quod etiam ipſe ſuperabis? Non te confundat infirmitas, quàm recepi. Ego de tuo fui trepidus, tu de meo eſto ſecurus.*

Hoc demùm capite claudendo minimè diffitendum dicimus, Petrum hîc verè, graviterque fuiſſe prolapſum. At quòd is ejus lapſus duodecimus ſit in ordine juxtà Magdeburgenſium calculum, vel hoc ipſo Evangelii textu apertiſſimè reprobatur, quo nimirùm ita deſcribitur Petri crimen, ut luctus ejus amariſſimus non ſileatur. Porrò ſi ut jactat impietas, haud ſemel, ſed pluries in gravem Petrus incidiſſet culpam, nec ſemel, ſed pluries commemorata fuiſſet digna ejus pœnitentia. Congruum etenim, juſtumque eſt ut quorum peccata recenſentur, eorùm ſatisfactio, dignaque pœnitentia minimè obtegatur. Et hac vice ſola gravis culpæ Petrum fuiſſe reum, quæ hactenus dicta ſunt, quæque deinceps afferentur uberrimè com-

probant. Pulchrè Ambroſius ſuper 22. Lucæ, cap. 96. Petri negationes expendens, *Videamus*, inquit, *negandi tenorem, quem inter Evangeliſtas video eſſe diverſum: Ita novum fuit Petrum potuiſſe peccare, ut peccatum ejus nec ab Evangeliſtis potuerit comprehendi*.

CAPUT XIII.

Decimustertius lapſus Petro attributus expenditur.

SUbdunt deinceps decimumtertium Petri lapſum ex Joann. 20. *Cùm*, inquiunt, *reſurrectio Chriſti ei nunciata eſſet, ipſoque magno ardore ad ſepulchrum excurriſſet, non tamen eum articulam rectè percipere potuit, ſicut expreſsè ſcriptum eſt, tam Petrum, quàm Joannem tum etiam ignoraſſe ſcripturas*, Joann. 20: *cùm quidem ſæpenumerò de ſcriptura eos docuiſſet Chriſtus*. In eo itaque juxtà Magdeburgenſium opinionem peccavit Petrus, quòd Chriſti reſurrectionem ſibi nunciatam non perceperit, & nè tunc quidem cùm vel ſuis oculis Chriſti Corpus haud ampliùs in monumento jacere conſpexit. Illa quoque ſcripturarum ignorantia non fuit prorsùs excuſabilis, cùm eas Dominus Petro ipſi, cæteriſque Apoſtolis crebriùs explanaſſet. Ini-

Iniquè proculdubiò Petrum hîc impietas criminatur. Quis etenim jurè unquam culpabilis viſus eſt, quòd ea non perceperit, quorum rationes ignoraverit; & quòd ea non crediderit facta, quæ an fieri deberent nec audiverit? Ad Chriſti ſepulchrum Joannes, & Petrus cucurrerunt, verumque comperierunt illud, quòd eis dixerat Maria Magdalenæ, corpus nempè Dominicum illic ampliùs non eſſe; exindèque abierunt perplexi, atque mirantes quod acciderat, ut inquit Lucas; cujus quidem ambiguitatis, animique ſuſpenſionis eam Joannes rationem affert, quòd ſcilicet, *Nondum ſciebant ſcripturam, quia oportuit eum à mortuis reſurgere*. Si adhuc ignorabant, Chriſtum eſſe reſurgendum, quî jure culpabuntur, quòd reſurrectionem ejus tunc non perceperint, nec crediderint? Neque enim credi poſſunt, quæ audita non ſunt, nec percipi poteſt id, cujus ratio neſcitur.

Audierant equidem Chriſtum Dominum de paſſione, interitu, ac reſurrectione loquentem; at quis eſſet illorum ſenſus verborum, & an de ſeipſo, vel de altero, nùm hiſtoricè, vel parabolicè loqueretur, intelligere non potuerant. *Et ipſi*, Lucas 18. *nihil horum intellexerunt. Erat autem verbum iſtud abſconditum ab eis, nec intelligebant, quæ dicebantur*. Quo modo igitur Chriſti reſurrectionem percipere, credereque

debuerant, ſi id eos latebat, eratque illis abſconditum? Ad hæc Lucæ verba reſpiciens Auguſtinus tract. 120. in Joann. ait, *Nondum enim ſciebant ſcripturam, quia oporteret eum à mortuis reſurgere: Et ideo quando id ab ipſo Domino audiebant, quamvis apertiſſimè diceretur, conſuetudine audiendi ab illo parabolas, non intelligebant, & aliquid aljud eum ſignificare credebant.*

Et Dominus probè noſcens, eos verborum ſuorum ſenſum neutiquam callere, eum tunc illis aperire noluit, facturus id deinceps completis omnibus, peractaque reſurrectione. Sat enim id fuit, ut ipſi in poſterum verba Domini recolentes, nil ei non præcognitum accidiſſe conſpicerent, & poſterorum fides eorum perplexitate, ac dubio haud parùm roboratur. Nil ergo mirum, ſi Maria Magdalenæ reſurrectionem prænunciante Apoſtoli non crediderint, ut inquit Marcus cap. 16. & ut ait Lucas, viſa fuerint illis verba hæc veluti deliramenta, eiſque fidem non adhibuerint; altiori ſiquidem providentiâ factum eſt, ut Domini verba reſurrectionem prædicentia non perciperent, ſenſuſque ſcripturarum pauliſper ignorarent. At demùm verò cùm fuit opportuniùs, ſcripturas eis aperuit, omnemque ambiguitatem ab eis abſtulit, Lucæ 23. *Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas; & dixit eis: Quoniam*

niam ſic ſcriptum eſt , & ſic oportebat Chriſtum pati , & reſurgere à mortuis die tertia , &c.

Vanis ergo criminibus Petrum impietas aggreditur , cùm de inauditis fides eſſe non poſſit . Eſt verò hîc quo Petrum , atque Joannem cæteris Apoſtolis haud injuriâ præferamus , quippè quos ad Chriſti monumentum currere amor compulit , vix audito , corpus illic ampliùs non eſſe : *Præ cæteris cucurrerunt , quia præ cæteris amaverunt*, inquit Gregorius , & ut Lyranus exponit , *Iſti præ cæteris Chriſtum amabant , & invicem ſe tenebant ſicut familiares ; alii autem ſicut diſperſi fugerant* : Quod in tanto diſcrimine , tantique mæroris tempore , ingentis ſanè erga Chriſtum amoris evidens argumentum fuit .

Chryſoſtomus tamen , cui plerique Græcorum aſtipulantur , cenſet , utrumque Apoſtolum , omnibus in Chriſti monumento accuratè perſpectis , reſurrectionem crediriſſe, homil. 84. in Joann. *Ex hoc reſurrectionem crediderunt ; ideo poſtmodùm apparuit eis Chriſtus , quia non videndo crediderunt* . Et ſub initium ſequentis homil. *Quemadmodum illis viſis linteaminibus credentes reſurrexiſſe , ſpe abierunt bona* . Cornelius verò à Lapide arbitratur , Joannem credidiſſe non Petrum , ob verba illa , *Et vidit , & credidit* , quæ ad Joannem , non ad Petrum

ſpe-

ſpectare videntur. Verior tamen, ac textui conformior eſt Auguſtini ſententia, quòd neuter Apoſtolorum reſurrectionem tunc crediderit. Exponendo ſiquidem verba illa, *Et vidit, & credidit*, ſic ait tract. 120. in Joan. *Hîc nonnulli parùm attendentes putant, hoc Joannem credidiſſe, quòd Jeſus reſurrexerit; ſed quod ſequitur hoc non indicat. Quid ſibi enim vult quod ſtatim adjunxit*, Nondum enim ſciebant ſcripturam, quia oportet eum à mortuis reſurgere? *Non ergo eum credidit reſurrexiſſe, quem neſciebat oportere reſurgere*. Et obvius quidem horum Evangelii verborum ſenſus eſt, Petrum, & Joannem etiam tum neſciviſſe ſcripturas, (poſt ſcilicet viſis linteaminibus, atque ſudario ſeorſim involuto) quibus Chriſti reſurrectio prædicebatur. Quòd ſi etiam tum Chriſtum reſurgendum eſſe neſciebant, haud ergo eum jam reſurrexiſſe Joannes tunc credidit.

Illorum ergo verborum, *Et vidit, & credidit*, ſenſus eſt, vidiſſe, & credidiſſe Joannem, quæ Maria Magdalenæ viderat, atque dixerat, corpus nempè Dominicum non eſſe in monumento; Auguſtinus laud. *Quid ergo vidit, quid credidit? Vidit ſcilicet inane monumentum, & credidit quod dixerat mulier, eum de monumento eſſe ſublatum*. Quam ſanè expoſitionem diſertè comprobat textus Lucæ 23. ubi duo diſcipuli

eun-

euntes Emmaus inquiunt, *Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum, & ita invenerunt ſicut mulieres dixerunt, ipſum verò non invenierunt*. De Petro, ac Joanne loquuntur, qui ad monumentum cucurrerant, verbaque mulierum vera compererant.

CAPUT XIV.

Quartusdecimus lapſus Petro attributus expenditur.

QUartumdecimum Petri lapſum colligunt Centuriatores ex Joann. 21. ubi cùm ejus curæ oves ſuas Dominus commiſiſſet, *Paſcè oves meas*; quibus ipſe Joannes deſtinaretur ab eodem Domino poſtulavit, *Domine, hic autem quid?* Hinc eum calumniatur impietas, quòd curioſus fuerit, atque ea ſciendi percupidus, quæ in re ſua non erant: *Curioſitas Petri*, inquiunt, *ſeria oratione combeſcitur, quando juſſus paſcere oves, quærit de Joanne*, Quid autem hic? *Chriſtus reſpondet*, Si eum volo manere donec veniam quid ad te? tu me ſequere.

Curioſus ille eſt, qui vana quadam actus ſciendi cupiditate ea ſtudiosè perquirit, quorum notitia nec eſt neceſſaria, nec utilis. Divus Anſelmus lib. 1. de ſimilitud. curioſita-

ſitatem definit, *Studium perſcrutandi ea, quæ ſcire nulla eſt utilitas*; Nec ineptè eam quis vocabit vitiorum omnium matrem, atque veram hæreſum radicem; qui enim ultrà veritatem curioſiùs inquirit, incidit in mendacium; nimiùmque altercando, ut curioſis mos eſt, veritas amittitur. Hiſce de cauſis Tertullianus lib. de præſcrip. cap. 8. curioſitatem è Chriſtianorum mentibus propellendam clamat, inquiens, *Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evangelium*. Creata omnia certis continentur limitibus, & mens imprimis, quam præ aliis facultatibus cohibere neceſſum eſt, quippè cujus excurſus ſunt cæteris pernicioſiores: Auguſt. lib. 1. de Gen. 7. Manich. *Compeſcat ſe humana temeritas, & id quod non eſt, non quærat, ne illud quod eſt, non inveniat*:

Alii in rebus alienis perſcrutandis nimii ſunt, atque ſoliciti, invidiâ exagitante, qua ob felicem, ac proſperum aliorum ſtatum mærore præmuntur, lætanturque de adverſo; & hanc curioſitatem Plautus malevolentiam vocat, *Nam curioſus nemo eſt, qui non ſit malevolus*. Neque crediderim in ſordida vitiorum omnium colluvie ſceleſtius aliquid inveniri, naturæque legibus repugnantius hâc invidâ curioſitate, quantùmve charitas virtutes alias antecellit, tantùm peſtis hæc cæteris vitiis anteit. Præter has verò im-

improbas animi affectiones reperitur deſiderium quoddam ſciendi res amicorum, quò de proſperis eorum eventibus gaudeamus, triſtemurque de adverſis, & deſiderium hoc nemo jurè curioſitatem vocaverit, niſi fortaſſe curioſitatis vocabulum latiùs accipiatur, omnemque comprehendat voluntatem ſciendi; neque enim iſthæc inquirentes vana cupiditate, ſed charitate potiùs aguntur, quâ in rebus felicibus lætitiâ non geſtiunt, niſi & amicos in proſperis aſpiciant.

Quòd Petrus inani quadam ſciendi aviditate, vel, quòd longè pejus eſt, invidiâ motus, ea poſtulaverit, quibus Joannes deſtinabatur; abſurdum tam grande eſt, ut illud effutire vel impietatem pudere debeat. Quid enim invideret Joanni Petrus toti terrarum orbi, ipſi quoque Joanni præpoſitus, omnemque jam poteſtatem ſortitus? Ergo vera hujuſce petitionis cauſa amor nimius fuit, quo Joannem Petrus proſequebatur; & qui ſua Domini prædictione jam noverat, ſolicitus pro amico eſſe cæpit. Chryſoſt: homil. 87. in Joann. *Et Joannes quidem tacet, ipſe autem loquitur; præterea & ſuam in eum præſefert dilectionem. Diligebat enim majorem in modum Joannem Petrus, quod ex ſequentibus apparet, & paſſim per Evangelium, atque etiam in Actibus eorum vinculum demonſtratur. Nam cùm magna Chriſtus Petro communicaſſet, orbis terrarum*

curam demandaſſet, martyrium prædixiſſet, & majorem erga eum dilectionem teſtatus eſſet, cùm vellet Petrus Joannem ſocium, & collegam, inquit, Hic autem quid? *Numquid eamdem viam ingredietur? Et quemadmodum in cæna interrogare non auſus, Joannem ſuffecit; ita nunc vicem reddit, arbitratus eum velle, ſed non audere de ſe ſciſcitari*. Quapropter ſicuti Petri deſiderium ſciendi, quis futurus eſſet Chriſti proditor, non jam curioſitatis, ſed flagrantiſſimi erga Chriſtum amoris effectus fuit: ita & ea flagitans, quibus Joannes deſtinabatur, dilectionem ſuam, veramque erga Joannem amicitiam, minimè curioſitatem, teſtatus eſt.

At quoniam ferventis amoris petitiones ferè nunquam ſunt numeris omnibus abſolutæ, Petrus ſolito mentis ardore iſthæc à Domino poſtulans, meruit reprehendi, *Dicit ei Jeſus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere*. Non enim quid de aliis, deque Joanne, quem ſpeciatim diligis, diſpoſuerim, ſcire tua intereſt: fungendum tibi eſt munere tuo, proque ovium ſalute curæ tuæ demandatarum ſolicitus eſſe debes: ſequenda tibi ſunt veſtigia mea, ad hoc incumbe: reliquorum ſors apud me eſt, nec te illam dignoſcere neceſſum eſt. Chryſoſt. laud. *Nam cùm nimiâ id charitate diceret Petrus, nec ab eo* (Joanne) *dividi vellet;*

let; *oſtendens Chriſtus*, *quòd quantavis eum dilectione proſequeretur*, *ſuam aſſequi non poſſet*, *inquit*: Si eum volo manere, quid ad te? *His verbis nos erudiens*, *neque dolendum*, *neque curioſiùs præter divinam voluntatem inveſtigandum*. *Nam cùm Petrus ſemper in hujuſmodi interrogationes ferventiùs proſiliret*, *iterum ejus fervorem retundens*, *quòd non ſit ulteriùs inquirendum*, *in hunc modum reſpondit*. Ubi Chryſoſt. curioſitatis vocabulum latiùs accipit, pro quacumque videlicet ſciendi cupiditate, undecumque exorta fuerit; diſertim namque aſſerit, Petrum haud vano quodam deſiderio, ſed charitate, nimiaque erga Joannem dilectione ad id poſtulandum fuiſſe compulſum.

DISSERTATIO TERTIA

Ultimus lapſus Petro attributus fuſiùs examinatur.

PEccatorum Petri catalogum concludunt Magdeburgenſes celebri illo facto, cujus meminit Divus Paulus ad Galatas 2. ubi ſe Petro in faciem reſtitiſſe ſcribit, eò quòd reprehenſibilis eſſet; ſic namque ait, *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat: Priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat; cùm autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant. Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem*

nem. Sed cùm vidiſſem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaicè; quomodo gentes cogis judaizzare?

Hac de re celebris, diuturnaque duos inter graviſſimos Eccleſiæ Doctores, Hieronymum, & Auguſtinum contigit altercatio; contendente nimirùm Hieronymo, rem hujuſmodi prævia inter Apoſtolos conventione, utilique, atque laudabili ſimulatione fuiſſe peractam: Auguſtino verò è contrariò aſſeverante, id totum haud aliqua conventione, vel ſimulatione, ſed veriſſimè contigiſſe. Hieronymi ſententiæ ſuffragantur Græci Patres, ac Expoſitores ferè omnes: Auguſtini verò ſententiam Latini omnes Patres, & Interpretes amplectuntur. Nos ut ordinatè, quantumve fieri poteſt clarè, atque diſertè controverſiam hanc explicemus; primò agemus de controverſiæ veritate: deinceps Hieronymi opinionem luculentiùs aperiemus: tertiò Auguſtini ſententiam fuſiùs declarabimus: quartò, cuinàm ex laudatis opinionibus veluti veritati, ſacriſque literis congruentiori, adhærendum ſit, ſtatuemus: quintò, mediam Eminent. Baronii ſententiam examinabimus: ſextò, quis, quantiſque fuerit hic Petri lapſus, expendemus: demùm, an ex hoc facto Paulum Petro ſuperiorem, vel ſaltem parem fuiſſe, colligi poſſit, conſiderabimus.

CA-

CAPUT I.

An factum hoc verè contigerit, examinatur.

CLemens Alexandrinus lib. 5. Hypotypoſeon, teſte Euſebio lib. 1. hiſt. cap. 12. & Dorotheus in ſynopſi, modò genuinum ejus ſit opus (id enim eruditi ferè omnes inficiantur) arbitrati ſunt, Cepham, quo de Paulus hîc loquitur, quemve ſe reprehendiſſe ſcribit, non jam Petrum Apoſtolum extitiſſe, ſed unum è ſeptuaginta diſcipulis. Eorum motiva refert Hieronymus in cap. 2. epiſt. ad Galatas: Primum eſt, haud potuiſſe Petrum ab gentilium convictu ſe ſubſtrahere, quippe qui Cornelium centurionem ex gentilium numero baptizaverat. Deinde, cùm Petrus Hieroſolymam aſcendiſſet, diſceptantibus adversùs eum fidelibus ex circumciſione, ac expoſtulantibus, *quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Act. 11. Poſt viſionis enarrationem, reſponſionem ſuam hiſce concluſit, *Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jeſum Chriſtum; ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum?* Quibus verbis objectantium animos pacavit, ſuamque

que traxit in ſententiam; *Quibus auditis tacuerunt, & glorificaverunt Deum dicentes: Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit.* Hoc facto, quod antea contigit, ſatis innui videtur, non potuiſſe deinceps Petrum Antiochiæ fidelium Judæorum timore ab convictu gentilium ſe ſubtrahere. Denique, ni ita dicatur, dabitur locus Porphyrii blaſphemiis; is enim Paulum procacitatis arguit, quòd Petrum Apoſtolorum principem auſus ſit reprehendere, eumque veluti errantem in faciem redarguere.

At verò indubium eſt, Cepham, cujus hîc Paulus meminit, Petrum ipſum Apoſtolorum principem, haud alterum hujuſce nominis diſcipulum extitiſſe: Id omnes Latini, Græcique Patres, ac Expoſitores unanimiter aſſeverant, quibus obniti imprudentis eſſet, temerariique conſilii. Et in ſacris quidem literis nullius alterius Cephæ ſit mentio, ſed Petri dumtaxat, qui aliquando Cephas, nonnunquam Petrus vocatus legitur. Quocirca Hieronymus nuper laud. objectis occurrens, inquit, *Quibus primùm reſpondendum, ulterius neſcio cujus Cephæ neſcire nos nomen, niſi ejus, qui & in Evangelio, & in aliis Pauli Epiſtolis, & in hac quoque ipſa modò Cephas, modò Petrus ſcribitur. Non quòd aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas; ſed quod nos latinè, & græcè petram vocemus, hanc Hebræi, & Syri propter linguæ inter-*

ter

ter ſe viciniam Cephan nuncupent. Neque putandum eſt, alterum eſſe Cepham hunc ab eo, cujus eadem in Epiſtola paulò ante fit mentio, *Et cùm cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, &c.* At quis iſte Cephas Eccleſiæ columna, niſi Petrus? Hinc rectè ait Hieronymus, totum hujus Epiſtolæ argumentum opinioni huic refragari.

Neque motiva ſuperiùs allata alicujus ſunt momenti: licèt enim Petrus gentilem Cornelium baptizaverit, comederitque tunc cum gentilibus, atque id fidelibus ex circumciſione, Petro eorum expoſtulationibus occurrente, improbatum non fuerit, neminem tamen latet, Judæos fideles Moyſis quoque legem ſolicitè, exactèque ſervaſſe, ut nimirùm plerique crederent, Baptiſmum incircumciſis minimè profuturum, hancque doctrinam converſis gentibus prædicarent, *Quia niſi circumcidamini ſecundùm morem Moyſi, non poteſtis ſalvari*: Et. *Quia oportet circumcidi eos; præcipere quoque ſervare legem Moyſi*. Act. 15. Quam ob rem concilium ab Apoſtolis celebratum fuit; cujus quidem decreto Gentiles ab duro circumciſionis onere vindicati ſunt, ea tamen ratione, ut abſtinerent ab immolatis, fornicatione, ſuffocatis, & ſanguine: Judæis verò legis operibus aſſuetis, totius ejuſdem legis obſervatio permiſſa eſt.

Pau-

Paulus quoque diſcipulum ſuum Timotheum, licèt ex parte gentili, circumcidit, veritus Judæos fideles, quibuſcum erat converſaturus, *Circumcidit eum propter Judæos, qui erant in illis locis*. Act. 16. & quidem poſt laudati concilii celebrationem. Hæc probè ſciens Petrus, atque noſcens, Judæos fideles ſcandalum paſſuros, ſi ſe Judæum hominem haud juxtà Moyſis legem vivere conſpexiſſent, licèt cum gentilibus Antiochiæ gentiliter hactenus vixiſſet, adventantibus tamen illùc miſſis ab Jacobo Judæis, à gentilium convictu ſe disjunxit, abſtinuitque ab eorum menſis.

Alterum objectum diſſolvit Hieronymus loc. laud. inquiens: *Si propter Porphyrii blaſphemiam alius nobis fingendus eſt Cephas, ne Petrus putetur erraſſe: infinita de ſcripturis erunt tradenda divinis, quæ ille, quia non intelligit, criminatur*. Nulla etenim vel gentilium, aut hæreticorum, vel quorumcumque pravorum hominum incuſatio deterrere nos debet à veritatis ſtudio, vel, quod turpius eſſet, ad eam obtegendam, & impugnandam impellere. *Utiliùs*, ſiquidem, *ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur*. Extra de Reg. Jur.

Sed enim, inquiunt, Lucas in Act. Apoſt. nullam hujuſce diſſenſionis mentionem habet, nec unquam dicit, Petrum Antiochiæ degiſſe cum Paulo. Verùm ſi ex Lucæ ſilentio

recte inferretur, hunc Cepham non eſſe Petrum, jam de pluribus aliis, quæ Paulo contigerunt, quorum Lucas non meminit, idem formare judicium oporteret; quod tamen quiſnam fidelium effutire auſerit? Heronymus loc. laud. *Nec mirum eſſe ſi Lucas hanc rem tacuerit; cùm & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoriographi licentiâ prætermiſerit: & non ſtatim eſſe contrarium, ſi quod alius ob cauſam dignum putavit relatu, alius inter cætera dereliquit. Denique, primum Epiſcopum Antiochenæ Eccleſiæ Petrum fuiſſe accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitùs omiſit.* Quinimmò & hanc ipſam Pauli cum Petro, vel alio Cepha diſſenſionem nunquam contigiſſe aſſeverandum foret; cùm nihil ejus in Apoſt. Act. Lucas meminerit.

Eminentiſs. Baronius ſub Chriſti anno 51. num. 35. Hieronymum carpit, quaſi voluerit, Clementem novum Cepham excogitaſſe: *Ut Petrum ſuſpicione criminis liberaret. Verùm*, ſubdit, *nullius notu impoſturæ jurè poteſt in Clementem inferri, qui diſcipulus fuit Panthæni, & longè ante Porphyrii ætatem vixit, nimirùm ſub Severo; Porphyrius verò ſub Diocletiano, ac denique Conſtantino imperante mortuus eſt.* Sed verò hujuſce opinionis de altero Cepha auctorem fuiſſe Clementem, non tam Hieronymus, quàm Euſebius aſſerit loc. laud.

in-

inquiens: *Sic enim refert Clemens in libro quinto hypotypoſeon: In quo etiam Cepham illum, cui Antiochiam ingreſſo, Paulus ſe palàm reſtitiſſe dicit, quoniam reprehenſione dignus erat, unum ait fuiſſe ex ſeptuaginta diſcipulis Petro Apòſtolo cognominem.* Neque ambigendum eſt, Hieronymo optimè innotuiſſe, Clementem diù ante Porphyrii tempora floruiſſe; indeque cætera argumenta, non verò illud de Porphyrii blaſphemia, ei attribuiſſe dicendum eſt; quod ab aliis eamdem amplexis opinionem, quique poſt Porphyrii tempora ætatem egerunt, audire potuit.

CAPUT II.

Hieronymi opinio luculentiùs aperitur.

Hieronymi ſuper hoc facto ſententia eſt, neque Petrum egiſſe quidquam, quod jurè reprehendi poſſet, nec Paulum verè, ſincerèque eum reprehendiſſe. Ergo Petrus cum gentilibus ad fidem converſis Antiochiæ converſabatur, ſumebatque cum illis cibos, in lege utique prohibitos; facto ipſo declarans, Moſaicæ legis obſervantiam cùm gentilibus, tùm Judæis haud ampliùs eſſe neceſſariam. Sed Ju-

dæis ab Jacobo miſſis illùc adventantibus, quos Moſaicæ legis tenaciſſimos ſciebat ipſe, quòdve offenſi nonnihil fuiſſent, ſi eum gentilibus ſe conviventem aſpexiſſent, hac uſus eſt diſpenſatione, quâ Judæis, & Gentilibus quid deinceps obſervari neceſſum eſſet, oſtenderet. Subduxit ſe ab Gentilium convictu, neque cum eis, Judæis ibi commorantibus, atque præſentibus cibum ampliùs ſumpſit, Moſaicæ legis ſe ſimulans obſervatorem. Convenerat autem cum Paulo, ut ſe hac utentem diſpenſatione, coram Gentilibus, Judæiſque redargueret, quaſi gentilium, quorum ſpecialis erat Apoſtolus, patrocinium ſuſcipiens, atque contendens, Moſaicæ legis obſervationem haud illis eſſe neceſſariam: Ipſe verò hujuſmodi reprehenſionem admittens, facto ipſo doceret Judæos ſuæ ſpeciatim curæ commiſſos, legis jugum ſolutum jam eſſe per Chriſtum, indeque non ampliùs eſſe judaizandum.

Res ergo tota conſiſtit in ſimulata Petri legis obſervatione, atque in Pauli ſimulata reprehenſione: agebat ille non ut reprehenſibilis eſſet, ſed ut reprehenſibilis videretur: arguebat eum iſte, non ut eum reprehenderet, ſed ut eum reprehendere crederetur: Nimirum ſtratagema hoc fuit, quo Judæos, atque Gentiles inter ſe circa legis Moſaicæ obſervationem altercantes, optimi illorum Duces Petrus, & Paulus conciliare conati ſunt; ſimulatoque diſ-

diſſidio veram eos inter pacem, concordiamque ſtatuere. Comparat Hieronymus Apoſtolos hacce in lite duobus ſagacibus cauſæ Patronis, qui licèt ſint amiciſſimi, nullaque inter eos vera detur ſimultatis occaſio, nihilominus coram Judicibus, populoque acerbè contendunt, ut in proprias etiam contumelias interdùm vertantur; quò ſcilicet apud reos nullam prævaricationis ſuſpicionem incurrant, fallantque populum circumſtantem: *Aliquoties*, inquit ſuper cap. 2. ad Galat. *cùm Adoleſcentulus Romæ controverſias declamarem, & ad vera certamina fictis me litibus exercerer, currebam ad tribunalia Judicum, & diſſertiſſimos oratorum tanta inter ſe videbam acerbitate contendere, ut omiſſis ſæpè negotiis, in proprias contumelias verterentur, & joculari ſe invicem dente morderent. Si hoc illi faciunt, ut apud reos nullam ſuſpicionem prævaricationis incurrant, & fallunt populum circumſtantem: quid putamus tantas Eccleſiæ columnas Petrum, & Paulum, tanta vaſa ſapientiæ inter diſſidentes Judæos, atque Gentiles facere debuiſſe? niſi ut eorum ſimulata contentio pax credentium fieret, & Eccleſiæ fides ſancto inter eos jurgio concordaret?*

Et opinionis hujus potiſſima ratio eſt, quòd Paulus ipſe deinceps, & non ſemel quidem, ejuſdem legis opera exercuerit. Sanè ſi Petro Judæis conſpicientibus ab Gentilium

con-

convictu ſe ſubtrahere non licuiſſet, quamquam ſpecialis Judæorum eſſet Apoſtolus; id fas multò minus fuiſſet Paulo, ſpeciali Gentilium Apoſtolo: Quòd ſi ea Paulus exercendo rectè, inculpatèque ſe geſſit, eò quòd hac diſpenſatione ſit uſus, ne Judæis quibuſcum convicturus tunc erat, ſcandali foret occaſio; Petrus quoque ſimili diſpenſatione uti potuit abſque ulla reprehenſibilitatis nota, ne Iudæi Antiochiam ingreſſi de ſua Moſaicæ legis inobſervantia offenderentur: *Quòd ſi putat aliquis*, Hieronymus ibidem, *verè Paulum Petro Apoſtolo reſtitiſſe, & pro veritate Evangelii intrepidè feciſſe injuriam præceſſori; non ei ſtabit illud, quòd & ipſe Paulus Judæis Judæus factus eſt, ut Judæos lucrifaceret; & ejuſdem ſimulationis tenebitur reus quando caput totondit in Cenchreis; & facto calvitio, oblationem obtulit in Jeruſalem, & Timotheum circumcidit, & nudipedalia exercuit; quæ utique manifeſtiſſimè de ceremoniis Judæorum ſunt. Si itaque ipſe, qui ad prædicationem gentium miſſus erat, non putavit abs re dicere*, ſine offendiculo eſtote Iudæis, & Eccleſiæ Dei, quomodo & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalventur: *Et fecit aliqua, quæ contraria eſſent Evangelii libertati, ne ſcandalizaret Iudæos: qua auctoritate, qua fronte audet*

hoc

hoc in Petro reprehendere, qui Circumciſionis Apoſtolus erat, quod ipſe Apoſtolus Gentium arguitur commiſiſſe?

Hoc quoque argumentum vehementiùs, fuſiùſque proſequitur epiſt. 74. ad Auguſt. quæ inter Auguſtiniana undecima eſt in ordine; ſuamque ſententiam græcorum Patrum, ac Interpretum auctoritatibus ſuffulcire nititur, Origenis, ſcilicet, Didymi, Apollinaris Laodiceni, Euſebii Emiſeni, Theodori Heracleotis, & Joannis Chryſoſtomi. Auguſtinum deinceps carpit veluti novam invehentem opinionem, omnique ſuffragatore deſtitutam: *Si igitur*, inquit, *me reprehendis errantem, patere me, quæſo, errare cum talibus; & cùm me erroris mei multos ſocios habere perſpexeris, tu veritatis tuæ ſaltem unum adſtipulatorem proferre debebis*. Hanc verò ſuam, imò non ſuam, ſed prædictorum interpretationem, eâ potiſſimùm causâ ſubintroductam dicit, ut blaſphemantis Porphyrii coerceretur improbitas; Paulum procacitatis arguentis, eò quòd Apoſtolorum principem ejus, in quo & ipſe fuit, erroris, reprehendere fuerit auſus: *Hanc autem*, inquit, *explanationem, quam primus Origenes in decimo ſtromatum libro, ubi Epiſtolam Pauli ad Galatas interpretatur, & cæteri deinceps interpretes ſunt ſecuti, illâ vel maximè causâ ſubintroducunt, ut Porphyrio reſpondeant blaſphemanti, qui Pau-*

li arguit procacitatem , quòd Principem Apoſtolorum Petrum auſus eſt reprehendere, & arguere in faciem , ac ratione conſtringere , quòd malè fecerit , ideſt , in eo errore fuerit , in quo fuit ipſe , qui alium arguit delinquentem .

CAPUT III.

Auguſtini ſententia fuſiùs declaratur .

AT verò hujuſmodi expoſitionem longè à germana textus ſententia abhorrere cenſuit Auguſtinus , ſacrarumque ſcripturarum fidem infringere . Si enim Petrus ſimulatione uſus eſt , factaque cum Paulo conventione , ab Gentilium converſatione diſceſſit , ut ei ſe veluti errantem reprehendendi fucatam tribueret occaſionem ; jam ergo verax non eſt Paulus ſcribens , *In faciem ei reſtiti , quia reprehenſibilis erat* . Et iterum , *Cùm vidiſſem quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelii , &c.* Aſſeverare ſiquidem Petrum eo in facto fuiſſe reprehenſibilem , cùm reipſa reprehenſibilis non fuerit , atque ad Evangelii veritatem non ambulaſſe , cùm tamen ab ea nec latum unguem diſceſſerit, haud ſanè veracis , ſed mentientis eſt animi.

Por-

Porrò ſemel admiſſo ; ſcriptores canonicos in aliquo , licèt officiosè. , fuiſſe mentitos , illicò tota ſcripturarum corruit auctoritas ; cùm hoc in aliis pleriſque locis jurè ſuſpicari quiſquam poſſet.

Ejus ergo ſententia eſt , Petrum verè fuiſſe reprehenſibilem , veraciterque à Paulo fuiſſe redargutum ; tùm in expoſit. epiſt. ad Galat. tùm lib. 2. contra Donatis. cap. 1. tùm aliis in locis, præſertim verò epiſt. 8. 9. & 19. ad Hieronymum , ubi fuſiùs , atque diſertiùs rem hanc proſequitur, & Hieronymum deprecatur , ut ſuam emendet , corrigatque opinionem , & palinodiam canat . Cùm verò Hieronymus luculenter pro ſua expoſitione , ac ejus potiùs interpretationem corrigendam eſſe, reſcripſiſſet : ipſe tunc accuratiùs rem pertractavit, argumentiſque robuſtiſſimis ſuam corroboravit opinionem . Epiſt. 19.

Eminent. Baronius ſub Chriſti anno 51. num. 37. arbitratur , Auguſtinum Hieronymi ſententiam numquam ſatis intellexiſſe ; quippè qui in eo ſemper verſetur, illudque jugiter in ſuis epiſtolis replicet , Paulum non fuiſſe mentitum , ſed quæ vera eſſent ſcripſiſſe ad Galatas : *At* , inquit ipſe , *Hieronymus non hæc dicebat , Paulum eſſe mentitum; & ad Galatas ſcripſiſſe mendacia ; quòd tunc contigiſſet , ſi quæ minimè facta eſſent , ea perindè ac facta ſcripſiſſet , vel aliter ac ge-*

ſta fuiſſent : quorum neutrum Hieronymus impingit Apoſtolo ; ſed ipſum quæ verè facta, & ut facta eſſent, ſcripſiſſe, nullatenus dubitavit. At longè aliud eſt, à Paulo vera eſſe narrata: aliud, ea quæ ſunt verè narrata, per ſimulationem ex compoſito facta; quod Hieronymus, ac citati omnes affirmabant auctores ; quod abſque peccati ſcrupulo facere licuiſſe, exemplo Domini comprobarunt.

Sed, veniâ tanti Scriptoris, dixerim, probabiliùs videri Auguſtini ſententiam ei minimè fuiſſe compertam. Non enim Auguſtinus dicit, docere Hieronymum, Apoſtolum officioſo mendacio fuiſſe uſum in Epiſtola ad Galatas ; ſed ſolùm contendit, & quidem mordicùs, id neceſſariò ſecuturum, ſi vera ſit ejus opinio : Nam ſi Petrus haud verè fuit reprehenſibilis, rectè ambulavit ad Evangelii veritatem, illaque fecit, quæ facere debuit. Mentitur ergo Paulus ſcribens, eum fuiſſe reprehenſibilem, ad veritatem Evanggelii haud rectè ambulaſſe, illudque feciſſe, quod facere non debuerat. Quòd ſi iſta Paulus veraciter ſcripſit, jam ergo Petrus reprehenſibilis verè fuit, non rectè ad Evangelii veritatem ambulavit, illaque fecit, quæ facere non debuiſſet: *Nam ſi*, inquit Epiſt. 19. *hoc fecit Petrus, quod facere debuit ; mentitus eſt Paulus, quòd eum viderit non recta ingredientem ad veritatem Evangelii.*

Quiſ-

Quiſquis enim hoc facit, quod facere debet, rectè utique facit; & ideo falſum de eo dicit, qui dicit eum non rectè feciſſe. Si autem verum ſcripſit Paulus: verum eſt quòd Petrus non rectè tunc ingrediebatur ad veritatem Evangelii; id verò faciebat, quod facere non debebat. Nimirùm, dilemmate utitur Auguſtinus, quo Hieronymum, quidquid dixerit, eò deducere conatur, ut vel ſcripturæ auctoritatem, vel expoſitionem ſuam infringat.

Et ſanè ſi Petrus rectè prorsùs ſe geſſit, atque altercatio, qua de agimus, exterior, ſimulataque fuit, jam rem ſcribit Paulus aliter, ac contigit, fallitque Galatas: longè ſiquidem aliud eſt, Petrum ad Evangelii veritatem ſimulatè non ambulaſſe; aliud, ſimplici, abſolutoque dicendi modo, ad veritatem Evangelii non ambulaſſe: primum diſpenſationem quamdam ſignificare poteſt, an laudabilem, vel etiam culpabilem, videant alii: ſecundum verò, actum abſdubiò noxium indicat. At verò Paulus rem narrat non jam primo, ſed ſecundo modo, *Cùm vidiſſem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii*. Deinde, aut Paulus ſic ſcribens, vult Galatas credere, hujuſcemodi jurgium fuiſſe diſpenſatorium, factumque prævià conventione, aut obortum fuiſſe verâ Petri culpâ; vel demùm vult, eos ancipites eſſe, atque neſcire quo modo contigerit?

gerit? Hoc ultimum eſt prorsùs ineptum; alioquin Apoſtolus ſeipſum fuiſſet fruſtratus: Neque primum; aliàs apertè ſcripſiſſet, illud non verè, ſed ex compoſito contigiſſe: & ſuffragatur Chryſoſtomus in Epiſt. ad Galatas, inquiens, *Ne mireris, ſi factum hoc appellat ſimulationem: Non enim vult patefacere conſilium, ut illi corrigerentur:* Reliquum eſt ergo voluiſſe eum Galatas credere, contentionem illam verâ Petri culpâ obortam fuiſſe; quod quid fuit aliud, quàm fallere Galatas, ſi ſic res non ſe habuit?

Cornelius à Lapide ſuper Epiſt. ad Galat. cap. 2. ſecutus Eminent. Baronium, cenſet quoque Auguſtinum, & Hieronymum non ſatis ſe invicem intellexiſſe: *Non enim*, inquit, *dixit Hieronymus, Petrum mentitum eſse, aut ſimulaſse Judaiſmum exteriùs, quem interiùs in corde deteſtaretur, uti Hieronymum videtur intellexiſse Auguſtinus; cùm in eum tam acriter inſurgit, quaſi doceret, Petrum licitè judaiſmum ſimulaſſe; ſic enim cuilibet fideli licita foret falſæ fidei, hæreſeoſque profeſſio, qui eſt error in fide: Sed tantùm docet Hieronymus, ut & Chryſoſtomus, non veram, ſed ſimulatam fuiſse reprehenſionem Petri à Paulo; ex compoſito enim utriuſque conſenſu Paulum reprehendiſſe Petrum incautæ, non ſimulationis, ſed diſſimulationis jam dictæ; Petrumque reprehenſionem hanc admiſiſſe ex compo-*

ſito

ſito , ut Petro in ſpeciem reprehenſo , judaizantes verè reprehenderentur , & cum Petro agnoſcerent , non eſſe judaizandum .

Videtur tamen mihi & hunc auctorem laudatorum Patrum Commentarios , & Epiſtolas haud accuratè perlegiſſe . Nam quòd Hieronymus docuerit , Petrum , laudabili quidem diſpenſatione , Judaiſmum exteriùs ſimulaſſe , liquidò conſpicitur in laud. ejus epiſt. ad Auguſtinum , ubi ait : *Sicut ergo oſtendimus , Petrum benè quidem ſenſiſſe de abolitione legis Moſaicæ , ſed ad ſimulationem obſervandæ ejus timore compulſum , videamus , &c.* Et poſt plura idipſum concludens de Paulo , inquit , *Simulaſti ergo Judæum , ut Judæos lucrifaceres ; & hanc ipſum ſimulationem Jacobus & cæteri te docuere presbyteri .* Et poſt pauca , *Didicimus quòd propter metum Judæorum & Petrus , & Paulus æqualiter finxerint ſe legis præcepta ſervare .* Et deinceps poſt plura , *Nec multum intereſt inter meam , & tuam ſententiam ; quia ego dico & Petrum , & Paulum timore fidelium Judæorum , legis exercuiſſe , imò ſimulaſſe mandata . Tu autem aſſeris , hoc eos feciſſe clementer , non mentientis aſtu , ſed compatientis affectu ; dummodò illud conſtet , vel metu , vel miſeridiâ eos ſimulaſſe ſe eſſe , quod non erant .* Clara igitur Hieronymi ſententia eſt , Petrum in hoc facto Moſaicæ ſe legis obſervatorem

ex-

exteriùs ſimulaſſe, cùm tamen interiùs probè ſentiret, vacua jam, atque inutilia per Chriſtum facta eſſe legalia. Contendit quidem, rem hanc haud eſſe peractam officioſo aliquo mendacio, ſed laudabili, prudentique diſpenſatione; at hoc inconſequenter dici judicat Auguſtinus, ut mox expendemus.

Chryſoſtomus ſuper Epiſt.ad Galat.cap.2. videtur quidem aſſerere, Petrum non ſimulaſſe; ait enim, *Multi qui parùm attentè legunt hunc Epiſtolæ locum, exiſtimant Petrum à Paulo inſimulari de ſimulatione: Verùm hoc non ita ſe habet; abſit, ut ita ſit.* Unde cùm Paulus Petri factum ſimulationem vocat, interpretatur ipſe, Paulum hocce uſum vocabulo diſpenſativè, ne prudens conſilium, converſionis gratiâ excogitatum, Galatis patefaceret; *Ne mireris ſi factum hoc appellat ſimulationem: Non enim vult, ut prius dixi, patefacere conſilium, ut illi corrigerentur.*

Sed nihilominùs pleraque alia, quæ ibidem idem ſcribit Chryſoſtomus, Petrum ſimulaſſe disertè comprobant, ait enim: *Apoſtoli Hieroſolymis quidem permittebant circumciſionem; non enim poterant ſubitò à lege revelli. Ubi verò veniſſent Antiochiam, jam nihil iſtarum rerum obſervabant, ſed cum his, qui ex gentibus crediderant, indifferenter vivebant; quod ſanè & Petrus*

trus tum faciebat . Ubi verò veniſſent ex Urbe Hieroſolymarum, qui viderant eum ibi ſic prædicantem non ulterius tentabat idem facere, metuens ne illos offenderet; ſed ſeceſſit, hic duo per diſpenſationem agens, alterum, ne offenderet eos, qui erant ex Judæis: alterum, ut Paulo juſtam præberet occaſionem increpandi. Juſtam utique non reapſe, ſed apparenter; nam ſi neque apparenter, jam cùm nec reipſa juſta fuerit increpationis occaſio, nulla prorsùs hujuſmodi occaſio extitiſſet. Hoc verò quid eſt aliud, quàm egiſſe Petrum, ut Judæis, atque Gentilibus rèprehenſibilis videretur? Id verò non alio fecit modo, quàm ab Gentilium converſatione, convictuque Judæis conſpicientibus ſecedendo, ſeque Moſaicæ legis obſervatorem ſimulando.

Clariùs poſt aliqua, *Et hæc audiens Petrus, jungit cum Paulo ſimulationem, quaſi deliquiſſet, ut per ipſius objurgationem corrigerentur*. At verò quid eſt Petrum Pauli increpationem ea facie admiſiſſe, quaſi deliquiſſet, ſibique jurè competeret, niſi voluiſſet eum; Judæos circumſtantes, cunctaque intuentes, credere, ſe verè ab Gentilibus ſecedendo peccaſſe. Quòd ſi hoc non eſt ſimulare, doceant, quæſo, quid ſit ſimulatio? Roboratur id ex eodem Chryſoſt. textum ſic legente, *Quoniam reprehenſus erat*; cui ſubdit ſuam interpretationem, *Non di-*

xit,

xit, reprehenſus à me; ſed ſimpliciter, reprehenſus, haud dubium quin ab aliis. Sed cujusnàm criminis ab aliis, priuſquàm à Paulo, reprehendi potuit? Diſceſſionis utique ab Gentilium convictu. At cur ob hujuſmodi diſceſſionem Petrum reum faciunt? Quia nempè ſic diſcedendo innuebat, malam eſſe gentilium converſationem, legemque Moſaicam eſſe ſervandam. Sed numquid Petrus ſic reapſe ſentiebat? Nequaquam abdubiò inquies: Numquid ſaltem optabat Petrus, ut ſe ſic ſentire Judæis perſuaderetur? Si nec iſtud: in quo eſt ergo ejus diſpenſatio? & cur permiſit, ut alii ſic ſe ſentire putarent, ſuamque ab Gentilibus diſceſſionem imitarentur?

Qui ergo Petrum non ſimulaſſe, ſed diſpenſatione quadam uſum fuiſſe ajunt, nihil reipſa dicunt; cùm hujuſmodi diſpenſatio aliud eſſe non potuerit, quàm ſimulatio fine optimo excogitata. Et quidem dum inquit Chryſoſtomus, Petrum reverà non ſimulaſſe, videtur veræ ſimulationis vocabulo opinionem profectò falſam intellexiſſe, in qua utique Petrus non verſabatur; ait namque, *Hoc totum ſuo ſilentio correxit Petrus, recepta in ſe ſimulationis opinione, quò vera ſimulatione Judæos liberaret*. Confert ſimulationem Petri cum Judæorum ſimulatione, quæ ſanè falſa erat opinio de legalium neceſſitate. Hinc Petrum verè non ſimulaſſe,

idem

idem eſt, ac eum reapſe non id ſenſiſſe, quod Judæi falsò opinabantur. At verò Petrus non ita ſentiens, ſic tamen ſe ſentire videri voluit. Et quomodo ſilentio ſuo ſimulationis opinionem in ſe recepit, niſi quatenus ſilentio ſuo faſſus eſt ſe ſimulaſſe? ſimulavit ergo, dum Pauli reprehenſionem diſſimulando effecit, ſeu permiſit, ut crederetur, ſe Moſaicæ legis neceſſitatem ſimulaſſe.

Totum hoc verò quod diſpenſatione factum Hieronymus, & Chryſoſtomus autumant, parùm, aut nihil ab officioſo mendacio abhorrere cenſet Auguſtinus: Hieronymo ſiquidem dicenti, *Ego, imò alii ante me expoſuerunt cauſam quam putaverant, non officioſum mendacium defendentes, ſicut tu ſcribis, ſed docentes honeſtam diſpenſationem.* Reſpondet Auguſtinus, *Hoc autem quod dicis, non diſpenſativè, ut noſtri voluere majores, quid ſibi vult oro te? Aut enim hoc eſt, quod ego appello officioſum mendacium, ut hæc diſpenſatio ſit officium velut honeſtè mentiendi: aut quid aliud ſit non video; niſi fortè addito nomine diſpenſationis fiat, ut mendacium non ſit mendacium. Quòd ſi abſurdum eſt; cur ergo non apertè dicis, officioſum mendacium defendendum?* Et hic Auguſtini diſcurſus ſanè optimus videtur mihi; non enim verbis tantummodò, ſed rebus quoque, factiſque mentiri poſſumus: Nam ſicuti

mentitur ille, qui ſenſis interioribus contraria verba profundit, ita & qui opinionem ſuam rebus ipſis, factiſque aliud innuentibus obtegit, à mendacio haud abhorret. Porrò quid fuit aliud diſpenſativa Petri ſimulatio, quàm propriæ, veræque opinionis obductio, ipſa re, factoque ab gentilibus diſcedendo, Judæoſque ſectando?

Natalis Alexandri in Hiſt. Eccl. ſæculo primo cap. 7. exiſtimat, Hieronymum ejus reverà fuiſſe opinionis, ut Apoſtolis diſpenſatione quadam officiosè mentiri licitum fuiſſe cenſuerit: *Denique*, inquit, *quòd Hieronymus officioſum mendacium ex diſpenſatione quadam licuiſſe Apoſtolis reverà exiſtimaverit, ejuſque mentem planè aſſecutus ſit Auguſtinus, cùm ejus ſententiam eo nomine ſuggillavit, quod officioſo mendacio patrocinaretur, ex eo probari poteſt, quod Hieronymus ipſe ſcribit ad Auguſtinum, cùm Origenis commentarios, & Græcorum aliorum ſententias ſe aſſerit ſecutum; quos mendacii officiosi cauſam egiſſe, ac exemplo Petri legalium obſervationem simulantis roboraſſe, Eruditorum nemo neſcit*. Sed Hieronymi venia, nuper allata auctoris hujus opinionem evertunt; ait namque Hieronymus, *Non officioſum mendacium defendentes*: Nimirùm, eo aſſeverante, officioſo mendacio ſe minimè patrocinari, contendit tamen hic auctor, eum officioſi mendacii pa-

tro-

trocinium ſuſcepiſſe. Quòd ſi ei non ſat eſt laudatum Hieronymi teſtimonium, producimus alterum ex eadem Epiſtola, *Nec me putes magiſtrum eſſe mendacii, qui ſequor Chriſtum dicentem, Ego ſum via, veritas, & vita; Nec poteſt fieri, ut veritatis cultor mendacio colla ſubmittam.*

Diffitendum ſanè non eſt, Hieronymum Origenis, aliorumque Græcorum commentarios, atque ſententias fuiſſe ſecutum; id enim ipſe ultrò fatetur: ſed tantùm abeſt exindè deduci poſſe, eum pro officioſo mendacio ſententiam protuliſſe, quin potiùs nec Græcos ipſos officioſo mendacio patrocinatos ipſe contendat; ait namque, *Ego, imo alii ante me expoſuerunt cauſam, non officioſum mendacium defendentes, ſicut tu ſcribis; ſed oſtendentes honeſtam diſpenſationem*. Auguſtini quoque verba paulò ante prolata diſertè indicant, Hieronymum inficiatum eſſe, ſe officioſi mendacii patrocinium ſuſcepiſſe, atque diſtinguendum prorsùs eſſe inter diſpenſationem hanc ſuam, & mendacium officioſum, id licèt inconſequenter dici Auguſtino viſum fuerit, ut jam oſtendimus.

CAPUT IV.

Cuinàm laudatarum opinionum ſubſcribendum ſit, explicatur.

AUguſtini ſententiam certiorem, laudatoque Pauli textui congruentiorem abſolutè pronunciamus; ſubſcripſerunt ei Patres omnes, ac Expoſitores latini, uno excepto Caſſiano, cui & officioſum mendacium haud illicitum perperàm viſum eſt. Quin etiam latini Patres Auguſtini, atque Hieronymi prædeceſſores eamdem ſententiam docuerunt; quod ſanè Hieronymo non innotuit, alioquin eam non eo etiam ex capite ſugillaſſet, quaſi nullum haberet aſtipulatorem; neque amariuſcula illa verba in Auguſtinum effudiſſet, *Tu quomodo iſtum locum ediſſeres? utique meliora dicturus, qui veterum ſententiam reprobaſti*. At Auguſtinus objecto huic occurrens, Cyprianum, & Ambroſium pro ſua laudat opinione. Potuiſſet quoque Tertulliani meminiſſe, qui lib. de præſcript. cap. 23. & lib. 1. contra Marcionem, expoſitionis ſuæ auctor extiterat, ſed conſultò eum omiſiſſe arbitrandum eſt, ne Eccleſiæ deſertoris patrocinio uti videretur ipſe, qui hoc in Hieronymo reprehenderat.

Cy-

Cyprianus ergo Epiſt. ad Quintum, Petrum à Paulo verè reprehenſum aſſerit, ejuſque humilitatem, & æquanimitatem ſuperioribus omnibus, ſupremis licèt, commendandam, imitandamque proponit, inquiens: *Petrus quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus de circumciſione diſceptaret, poſtmodùm non vendicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à nonnullis, & poſteris ſibi potiùs deberi; nec deſpexit Paulum, quòd Eccleſiæ priùs perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vendicabat, facilè conſenſit; documentum ſcilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens, &c.* Aſtipulantur Ambroſius ſuper Epiſt. ad Galat: cap. 2. modò illa expoſitio ſua ſit; id enim inficiantur critici, & Tertullianus loc. ſuperiùs laud.

Et huic quoque ſententiæ ſubſcripſerunt graviſſimi Summi Pontifices Gelaſius, Pelagius ſecundus, & Gregorius Magnus. Gelaſius quidem in Epiſt. de Anathematis vinculo in Acacium, & Petrum, inquiens: *Sanctus Petrus primus Apoſtolorum ſic æſtimans novi teſtamenti gratiam prædicandam, ut à legis veteris non recederet inſtitutis, quædam per ſimulationem legitur inter Judæos, Gentileſque geſſiſſe: numquid ideo aut illa*

ejus

ejus ſequenda ſunt, quæ meritò & Coapoſtolus ejus Paulus facta redarguit, & poſtea conſequenter ipſe vitavit? aut pariter aſſumenda ſunt cum his, quæ utpotè primus Apoſtolus ſalubriter prædicavit? Numquidnam aut ejus recta doctrina cum his, quæ humanitùs acciderunt, repudianda eſt; aut illa adbuc imbecillis inſcititia cum perfecta ejus doctrina ſuſcipienda eſt? Spectabilis ſanè tanti Pontificis in ſcribendo ſinceritas, atque candiditas, quippè qui deceſſoris ſui Apoſtolorum Principis factum haud excuſare, ſucataque interpretatione obtegere nititur; quin quòd alii non fecerunt, ſpecialiter illud onerat, imbecilliſque inſcitiæ redarguit.

Pelagius verò ſecundus Epiſt.3. ad Eliam, & Epiſcopos Iſtriæ, tria capitula, poſt celebratam, atque receptam quintam Synodum, pertinaciter damnare renuentes, inquit: *Sed his inſuper factum Petri, qui & Paulum ſuperat, veſtra fraternitas ad memoriam reducat: Diù quippè reſtitit, ne ad fidem gentes ſancta Eccleſia ſine circumciſione reciperet: diù ſe à converſarum gentium communione ſubtraxit, Paulo atteſtante, qui ait:* Cùm veniſſet Antiochiam, &c. *Qui tamen ab eodem Paulo poſtmodùm ratione ſuſcepta, dum quoſdam conſpiceret, quòd Gentiles ad Eccleſiam venientes pondere ſervandæ circumciſionis onerarent, dicit:* Cur tentatis Deum imponentes jugum cervicibus diſcipulorum, &c.

Num-

Numquid, fratres dilectiſſimi, Petro Apoſtolorum principi ſibi diſſimilia docenti, debuit ad hæc verba reſponderi, Hæc quæ dicis, audire non poſſumus, quia aliud ante prædicaſti?

Magnus tandem Gregorius præceſſorum ſuorum ſententiæ ſubſcribens, hæc habet lib. 2. in Ezech. homil. 18. *Et cùm Petrus Apoſtolus ſervari adhuc in circumciſione legis conſuetudinem vellet, ei in faciem reſtitit* (Paulus) *eumque hac in re fuiſſe reprehenſibilem dicit; & in hoc ejus ſtudium diſcipulis loquens, non ſolùm culpam, ſed quod eſt magis, hypocriſim, ideſt, ſimulationem nominat, &c.* Trium ergo Summorum Pontificum teſtimoniis Auguſtiniana interpretatio remanet comprobata, quam etiam ſecuti ſunt Facundus Hermianenſis lib. 8. cap. 6. Beda, Anſelmus, Petrus Damianus, Divus Thomas, Doctor Subtilis, cæterique latini Theologi, ac Expoſitores doctiſſimi, atque accuratiſſimi, ut mirum ſit, Eminent. Baronium ſub Chriſti anno 51. num. 32. tantis Doctoribus inſaniæ notam inuſſiſſe.

Unicum verò aſſerti hujus fundamentum ſunt laudata Pauli verba cap. 2. ad Galatas, quorum ſanè ſenſus germanus eſt, Petrum greſſus ſuos ad Evangelii veritatem rectè non direxiſſe, fuiſſeque verè reprehenſibilem, eumque Paulum ſincerè reprehendiſſe. Nam ſi nulli prorsùs culpæ Petrus fuit obnoxius,

rem-

remque egit ab omni malitia, ac reprehenſibilitate abhorrentem, jam mendax eſt Paulus ſcribens, *In faciem ejus reſtiti, quia reprehenſibilis erat*. Et ſi Petrus ad Evangelii veritatem recto inceſſit pede, ab eaque nec latum unguem diſceſſit, verum haud eſt illud Pauli, *Cùm vidiſſem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii*. Repetantur quæ ſuperiùs Auguſtinum exponendo digeſſimus.

Occurrendum ſupereſt argumentis, quibus adverſa fulcitur opinio. Et quò ab ultimo exordiamur, quid nobis cum Porphyrio, aliiſque gentilibus, vel hæreticis blaſphemantibus? blaterent ipſi, venenataque profundant verba; nobis eorum clamores nihili pendendi ſunt, tantùm abeſt, ut ob eos veritatem deſerere, vel obtegere dèbeamus; idem quippè crimen eſt veritatem abnegare, ac eam verbis involuere, exquiſitiſque interpretationibus obducere. Ergo Porphyrii improbitatem retundimus reſpondendo, Paulum non jam procaciter, ut ipſe effutit, ſed liberè, libertate utique Evangelica, ſpiritualique, Petrum reprehendiſſe: Petrum verò hujuſmodi reprehenſionem modeſtè, atque humiliter admiſiſſe; ut nimirùm virtuoſa fuerit Pauli in reprehendendo libertas, & virtuoſior Petri in ſubſtinendo æquanimitas. Auguſt. Epiſt. 19. *Eſt laus itaque juſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis*

in-

in Petro: quæ (quantum mihi pro modulo meo videtur) magis fuerat adverſùs calumniantem Porphyrium defendenda , quàm ut ei daretur obtrectandi major occaſio , quà multò mordaciùs criminaretur Chriſtianos fallaciter vel ſuas literas ſcribere, vel Dei ſui Sacramenta tractare .

Alteri argumento idem ſatisfacit Auguſtinus, inquiens, Petri culpam haud eſſe in legis operum exercitio , quæ eo tempore licitè exequi poterat, ſed in inconſulta ſimulatione, cui Judæi degentes illic , & Barnabas ipſe conſenſerant, ſuiſque exemplis gentiles ad judaiſmum trahebant. At verò Paulus legis quidem opera quandoque exercuit, quæ tunc innocenter patrare poterat, nullâ tamen uſus eſt ſimulatione , cujus ipſe Petrum arguerat . Addit Ambroſius in Epiſt. ad Galat. cap. 2. Paulum aliquando ceſſiſſe quidem Judæorum clamoribus, egiſſeque legis opera, ſed verò minimè ſuaſiſſe ea fidelibus neceſſaria , vel utilia eſſe, *Sed rem ſe ſuperfluam , & inanem facere clamitabat propter furorem Judæorum* : Petrum verò ea feciſſe, faciendaque ſuaſiſſe.

Rem tamen ſcrupuloſiùs conſiderantibus fortaſsè videri poterit , Paulum quoque legis opera exercendo non multùm à ſimulatione abſuiſſe. Finis etenim ob quem Timotheum circumcidiſſe ſcribitur , alius non fuit, quàm ut Judæorum vitaret ſcandala . *Et aſ-*

ſumens circumcidit eum, propter Judæos, qui erant in illis locis. Act 16. Rem nempè licitam fecit Timotheum circumcidendo, id enim haud prohibitum illis erat temporibus; at cùm eum circumciderit, ne Judæi quibuſcum erat converſaturus, ipſum horrerent veluti legalium deſertorem, videtur voluiſſe, ut illi crederent, ſe circa legalium quoad Judæos obſervationem ejuſdem cum eis eſſe ſententiæ: Illis verò circumciſionem, cæteraque legis opera adhuc eſſe neceſſaria Judæis, perſuaſum erat; opus ergo ſuum eò directum videri poſſet, ut nempè Judæi ſic ſentientes, ſe quoque eadem opinari putarent.

Hieroſolymis etiam Jacobo, aliiſque conſulentibus legis opera exercuit, ut Judæi fideles, ſed adhuc legis Zelatores, apud quos malè audiebat, veluti ab eadem lege diſcedendum docens, facta ipſa cernentes, conceptam de ſe opinionem deſererent. Act. 21. *At illi cùm audiſſent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides, frater, quot millia ſunt in Judæis, qui crediderunt, et omnes emulatores ſunt legis. Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas à Moyſe eorum, qui per gentes ſunt, Judæorum, dicens, non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundùm conſuetudinem ingredi. Quid ergo eſt? utique oportet convenire multitdinem: audient enim te ſuperveniſſe: Hoc ergo fac, quod*

quod tibi dicimus . Sunt nobis quatuor viri, votum habentes ſuper ſe: His aſſumptis, ſanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita, & ſcient omnes, quia quæ de te audierunt, falſa ſunt; ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem.

Reſpondet Auguſtinus, ſparſum fuiſſe inter Judæos, fideles quidem, ſed legis Zelantiſſimos, Paulum legalia, veluti jam ſacrilega, condemnare; quam ob rem haud levis adverſus eum invidia fuerat excitata; cujus devitandæ gratia, conſuluit ei Jacobus, ut illic publicè, omnibuſque conſpicientibus, legis opera exerceret, in quorum ſanè operum exercitio nulla ſimulatione uſus eſt; imò verè, ſincerèque oſtendit ſe licita facere, eaque opera minimè ut ſacrilega condemnaſſe. Id verbis Jacobi comprobat, inquientis: *Et ſciens omnes, quia quæ de te audierunt, falſa ſunt*. Nam ſi actionibus hiſce ſimulatis ſententiam ſuam obtegere voluiſſet, non ei dixiſſet Jacobus. *Et ſcient omnes*, ſed dixiſſet potiùs: *Et putabunt omnes, quoniam quæ de te audierunt, falſa ſunt*.

Sed inquiet aliquis, diſceſſionem à lege Moyſis, quam quidam Paulum Judæos inter gentiles degentes docere jactabant, in eo erat, quòd aſſereret, *Non debere Judæos circumcidere filios ſuos, neque ſecundùm legis conſuetudinem ingredi*, non debere eos ſcilicet obſervare legalia, veluti jam vacua, nul-

lamque utilitatem præſeferentia . Sat enim hoc erat, ut apud Judæos legis Zelatores in invidiam adduceretur, peſſimèque audiret, ut neceſſe non ſit verba illa interpretari, quaſi docuiſſet legalia jam eſſe mortifera, atque ſacrilega. Id verò haud erat falſum, quandoquidem verè docuerat ipſe, in legalibus non eſſe ſalutem, ut fusè probaverat Epiſt. ad Rom. inquiens, *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Et quidem appoſitè dixit: *Hominem*, ut non jam ſolos gentiles, verùm & Judæos comprenderet. Et prima ad Corinth. 10. *Omne quod in macello venit, manducate, &c.* Et Epiſt. ad Galat. quam probabile eſt ſcripſiſſe priuſquàm demum Hieruſalem peteret, ibique in vincula conjiceretur.

Neque Jacobi verbis oppoſitum apertè concluditur; cùm verbum illud, *Scient*, latiorem pati poſſit ſignificationem, ut hoc loco idem ſonet, ac credant, conjectent, vel ſibi perſuadeant, quo modo Chryſoſtomus, & Hieronymus illud interpretantur; quod modo aliquo comprobant ſubſequentia, *Sed ſequeris & ipſe cuſtodiens legem*, ut ſciant nimirùm te quoque legem cuſtodire, ſicuti & ipſi Zelatores eam cuſtodiunt, quod aliud ſanè non eſt, quàm, ut id ſibi perſuadeant; verè etenim Paulus ſæpiùs prædicaverat, literiſque docuerat, ſe evangelica, chriſtianaque libertate frui, nec ampliùs ſibi utendum

lega-

legalibus caſſis jam, & inutilibus: *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conſcientia?* 1. ad Corinth. 10.

Numquid ergo dicendum eſt, Paulum quoque ſimulaſſe, in eamdem culpam incidiſſe, cujus ipſe Petrum arguerat? Ita prorsùs aſſeverandum videtur Hieronymo, ac Græcis omnibus Patribus, qui hiſce in factis eodem jure, parique ratione diſcurrendum exiſtimant; ut nimirùm, qui Petrum erroris inſimulaverit, Paulum à lapſu vindicare non poſſit. Suffragatur Tertullianus de præſcript. cap. 24. inquiens: *Reſpondebo quaſi pro Petro; ipſum Paulum dixiſſe*, factum ſe eſſe omnibus omnia Judæis Judæum, non Judæis non Judæum, ut omnes lucrifaceret. *Adeo pro temporibus, & perſonis, & cauſis quædam reprehendebant, in quæ & ipſi æquè pro temporibus, & perſonis, & cauſis committebant: quemadmodum ſi & Petrus reprehenderet Paulum, quòd prohibens circumciſionem, circumciderit ipſe Timotheum*. At mihi longè probabiliores videntur Auguſtini interpretationes. Qui verò ea, quæ in adverſum producta ſunt, probabilia autumat, defendat potiùs, utrumque Apoſtolum uſum aliquando ſimulatione minus idoneâ, quàm Pauli verba diſpenſationem quamdam continere, ab officioſo mendacio haud ſatis abhorrentem: Auguſt. Epiſt. 19. *Non eſt*, inquit, *credibile hoc in Petro Paulum, quod ipſe*

Pau-

Paulus fecerat, arguiſſe. Non nunc inquiro quid fecerit, ſed quid ſcripſerit; quæſo.... Et ſi tale aliquid Paulus ipſe jam fecerat, correctum potiùs etiam ipſum credam Coapoſtoli ſui correctionem potuiſſe negligere, quàm mendaciter aliquid in ſua Epiſtola poſuiſſe.

CAPUT V.

Eminentiſs. Baronii ſententia examinatur.

AUctores omnes, qui rem hanc tractaverunt, vel Hieronymo, græciſque Patribus, vel Auguſtino, Patribuſque latinis ſuffragati ſunt; nihil aliud conjectari, ac dici poſſe cenſentes, quàm, vel ea, quæ Paulus refert, ex compoſito, ac diſpenſativè fuiſſe peracta, indeque nullius erroris Petrum fuiſſe reum, aut ſeriò, verèque geſta fuiſſe; ac idcircò Petrum in culpam aliquam incidiſſe. Soli Eminent. Baronio ab utraque diſcedendum ſententia viſum fuit, & quòd congruè dari poſſit media quædam interpreratio, juxtà quam & ea haud ex compoſito facta, & Petrum omni prorſus caruiſſe culpa, defendi poſſit: *Nos*, inquit ſub Chriſti anno 51. num. 39. *neutrum harum ſequentes, dicimus, ea nec ex compoſito facta, nec ea faciendo Petrum vel*

vel minimum deliquiſſe . Nempè , videtur mihi, aptiſſimè in Baronium , adversùs tantorum virorum , ſcriptorumque omnium ſententias novum quid opinantem , illud dici poſſe , quod utique minùs commodè Hieronymus in Auguſtinum protulit ; *Tu quomodo iſtum locum ed'ſſeres ? utique meliora dicturus , qui veterum ſententiam reprobaſti* .

Expoſitionem igitur ſuam aggreſſurus , ut exploratum , indubiumque ſupponit , Apoſtolos abſque culpa etiam leviſſima , pro loci , ac temporis ratione uti potuiſſe legalibus. Id comprobat exemplo Pauli , quem ea ſæpiùs exercuiſſe compertum eſt ; adeò ut ex hoc tantummodò , quòd Petrus cum Judæis aliquando judaicè vixerit , culpæ alicujus non niſi immeritò argui poſſit . Aperit deinceps quæſtionis ſtatum , quem in eo , & rectè quidem , collocat , num ſcilicet , quæ Petrus innocenter exequi poterat , opportuno loco, ac tempore , cæteriſque reſervatis circumſtantiis , fecerit ? Et controverſiam reſolvendo contendit , quòd ſi unquam eâ licentiâ Petro utendum fuit , numquam opportuniùs , atque commodiùs eâ uti potuerit , quàm in caſu , quo de controvertimus . Fundamentum verò ejus eſt , quòd nimirùm providere debuit Petrus , nè Judæis fidelibus Antiochiam appulſis , ſcandali , & offenſionis eſſet occaſio ; id verò futurum ſatis prudenter timuit , niſi ab Gentilium convictu ſe ſubtra-

xiſ-

xiſſet, legiſque Moſaicæ obſervatorem ſe ſimulaſſet: ſuſceperat enim ipſe ſpeciale Judæorum patrocinium, quibus admodùm cordi erant Moſaicæ legis ſtatuta; nec abſque ſcandalo, Judæorum aliquem præſertim verò eorum Patronum Petrum, illis haud obtemperare conſpexiſſent.

Sed enim Paulus ſcribit, Petrum hoc in facto reprehenſibilem fuiſſe, ſeque propterea in faciem ei reſtitiſſe. Pugnant verò hæc è diametro, *Non peccavit*, &, *Reprehenſibilis erat*. Reſpondet ipſe, in unaquaque hominis actione duo eſſe conſideranda; intentionem ſcilicet, qua aliquid factum eſt, & opus ipſum, quod quale ſit, ab hominibus cernitur. Et prioris quidem Deus tantùm, qui intuetur cor, eſt judex, & vindex: opus verò tantùm, quòd videtur, humano judicio judicatur. *Non potuit ergo Paulus reprehenſibilem dixiſſe Petrum ex ejus animi intentione, qua non inſpiceret, ſed tantùm ex facto quod cerneret: In quo*, ſubdit, *rursùm duo adhuc ſunt penſanda, opus ipſum, & quod ejus occaſione provenit. Sed quod ad ipſum opus ſpectat, illud, quòd permiſſum eſſet, quod & ipſe Paulus ſæpiùs facturus eſſet, nec à Paulo reprehendi poterat, nec ejus cauſa Petrus reprehenſibilis dici. Solùm ergo reſtat, ut Paulus reprehenſibilem Petrum dixerit, quòd occaſione operis jure, ritèque ex diſpenſatione patrati, res, quæ reprehenden-*

da meritò foret, eſſet oborta; nimirùm, quòd ejus exemplo gentes ad judaizandum impellerentur; à quo quidem facto cùm & animus Petri procul abeſſet, nec peccatum ineſſe potuiſſe certiſſimum eſt.

Hæc eſt Annalium Parentis de hoc Petri facto ſententia, cui an deinceps aliquis ſuffragatus fuerit, ignoro. Illud tamen probè ſcio, neminem eam jurè complecti poſſe. *Ad Paulum confugio*, inquit Auguſtinus Epiſt. 19. *ad ipſum omnes, qui aliud ſentiunt literalibus ſuis tractatibus, provoco; ipſum interrogans interpello, & requiro in eo, quod ſcriptum eſt ad Galatas, vidiſſe ſe Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Evangeli, &c.* Si enim ſincerè, verèque ſcribit Paulus, Petrum fuiſſe reprehenſibilem, & ad Evangelii veritatem rectà non ambulaſſe, quâ deinceps cohærentiâ poteſt aſſeri, Petrum nulli prorsùs crimini obnoxium fuiſſe? Hoc enim quid eſt aliud, quàm eum minimè fuiſſe reprehenſibilem, greſſuſque ſuos ad Evangelii veritatem rectà direxiſſe? Cui verò hoc de Petro ſentiendum videtur, jam Paulum mendacem facit, ut luce ipſa eſt clarius.

Quæro, nùm Paulus exiſtimaverit Petrum verè reprehenſibilem, verèque ab Evangelii veritate declinaſſe, vel nè? Qui primum aſſerens, Petrum nihilominus omni culpâ caruiſſe contendit, is Paulo quæſtionem movet, eumque falſi judicii arguit; quòd nem-

pè Petrum meritò reprehendendum eſſe putaverit, cùm tamen ille nil geſſerit reprehenſibile: Qui verò alterum amplectitur, ei Paulus à mendacio vindicandus eſt; cùm de Petro, quem innocenter ſe geſſiſſe, rectèque ad Evangelii veritatem ambulaſſe cognoverat, ſcriptum reliquerit, & reprehenſibilem fuiſſe, & ad Evangelii veritatem rectà non ambulaſſe.

Nam quòd Paulus exiſtimaverit Petrum verè reprehenſibilem, non jam ex ejus animi intentione, *quam non inſpiceret*; neque ob opus patratum; quippè quod licitum fuit, & opportunis circumſtantiis exornatum: ſed ſolummodò quòd occaſione ejuſdem operis res meritò reprehendenda eſſet oborta, inepta eſt ſpeculatio: Alioquin & Chriſtus Dominus haud abſimiliter ſæpiùs verè reprehenſibilis dici potuiſſet, eò quòd occaſione ſuorum operum, dictorumque, res meritò reprehendendæ multoties obortæ fuerint, Judæorum ſcilicet ſcandala: Hinc Matth. 15. Diſcipuli dixerunt ei: *Scis quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt*. At verò injuſtè quis ob aliorum peccata reprehenditur, quorum nulla ratione fit particeps: neque vitæ, juſtitiæ, doctrinæque veritas deſerenda eſt ob ſcandalum aliorum, in quod propriâ vel inſcitiâ, vel malitiâ prolabuntur. Quocirca Juris regula eſt, *Utiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relin-*

qua-

quatur. In eos verò, qui aliorum bona opera contuentes, offenduntur, dici poteſt illud Patris familias Matth. 20. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?*

Dignum etiam reflexione eſt; quòd cùm Eruditiſſimus hic Auctor de Petri intentione, & animo tam diſertè pronunciet, quòd rectus, optimuſque fuerit, *A quo quidem facto cùm & animus Petri procul abeſſet*: Et *Quàm prudens, & ſagax, ac denique neceſſarium videri poterat Petri conſilium, &c.* Inficiatur nihilominus, Paulum de Petri intentione judicium ferre potuiſſe, *Non potuit ergo Paulus reprehenſibilem dixiſſe Petrum ex ejus animi intentione, quam non inſpiceret*. Sanè ſi Paulo, qui & Paulus, & facto diligens obſervator interfuit, Petri conſilium aut potuit innotuiſſe, quis deinceps illud ſibi compertum aſſeverarit? *Donec veniam*, inquit Auguſt. Epiſt. 19. *quilibet aliud opinantes: Ego magis credo tanto Apoſtolo in ſuis, & pro ſuis literis juranti, quàm cuiquam doctiſſimo de alienis literis diſputanti*.

CAPUT VI.

Quis, & quantus fuerit aſſertus Petri lapſus, expenditur.

ET hactenus Petrum ab omni culpa vindicari non poſſe, ſat, ut arbitror, demonſtratum eſt. Expendendum ſupereſt, quiſnam fuerit his Petri lapſus, quantæque gravitatis cenſendus ſit? Exiſtimant aliqui eum animi imbecillitate, atque timore minùs rationabili adversùs propriam, veramque ſententiam agere fuiſſe coactum, ut ſcilicet non tam timuerit Judæis, ne ſua cum gentilibus converſatio illis eſſet in ſcandalum, quàm Judæos, ne ſe veluti legis prævaricatorem in diſcrimen adducerent. Opinionis hujus aſſertores temeritatis redarguit Eminentiſs. Baronius num. 40. inquiens, *Hæc idcircò, ut his retundatur temeritas dicentium, Petrum timore irrationali percitum, in errorem eſſe lapſum, cujus à Paulo eſt redargutus*. Cui quidem notæ minimè ſubſcribendum cenſeo, vel eo ſaltem, quòd Summus Pontifex Gelaſius, ac Divus Ambroſius ejuſdem opinionis fuiſſe videntur; Ambroſius equidem in Epiſt. ad Galatas, modò ſuum ſit illud opus, inquiens: *Timebant impetum audaciæ eorum, qui emulabantur le-*

gem:

gem : Gelaſius vero Epiſt. de Anathematis vinculo, ubi ait: *Numquidnàm aut ejus recta doctrina cum his, quæ humanitùs acciderunt, repudianda eſt, aut illa adhuc imbecillis inſcitia cum perfecta ejus doctrina ſuſcipienda eſt?*

Longè tamen veriùs eſt, minimè jam ſibi Petrum, ſed Judæis timuiſſe, deque eorum ſalute fuiſſe ſolicitum: Jam enim pleriſque in occaſionibus animi ſui firmitudinem oſtentaverat, ſive Chriſti Evangelium liberè prædicando, ſive Sadducæis, ac Senioribus conſtantiſſimè reſiſtendo, eorumque minas contemnendo, ſive verbera ob Jeſu nomen alacriter patiendo, ut abſurdum prorsùs ſit ſuſpicari, tam generoſum cor diſcriminis alicujus timore potuiſſe deinceps corripi. Veritus ergo fuit, ne Judæi fideles illùc appulſi ſe Gentilibus adhærere conſpicientes, ut Moſaicæ legis prævaricatorem horrerent, Evangeliumque ab ſe receptum excuterent, quòd illis profectò, haud ſibi timere fuit: Chriſoſt. ſuper Epiſt. ad Galat. *Non hoc metuens, ne veniret in diſcrimen: nam qui in initio non metuerat, multò minùs tum timuiſſet. Verùm illud metuebat, ne deficerent; quandoquidem & ipſe Paulus loquitur Galatis*, Timeo de vobis, ne fruſtrà laboraverim: *ac rurſum*, Timeo, ne quemadmodum Serpens decepit Evam, corrumpantur ſenſus veſtri. *Apud illos igitur mor-*

tis

tis metus nihil erat ; verùm metus ne perderent ſuos diſcipulos vehementer concutiebat illorum animos .

Petro errorem doctrinæ affingunt aliqui, quaſi Gentiles , Judæis coràm adſtantibus , Moſaica quoque legalia obſervanda docuerit, non factis tantùm , ſed etiam verbis , nec ſolo converſationis exemplo , ſed docentis etiam imperio . Et huic opinioni libenter ſubſcribunt quicumque Romani Pontificis in rebus fidei , morumque decernendis indefectibilitatem oppugnant , arbitrantes , hujuſcemodi facto , quòd multis , & crebriùs exagerant , propoſitum confeciſſe .

Cæterùm iſthæc opinantes à veritate nimiùm abhorrere , vel textu ipſo Apoſtolico abundè convincitur . Neque etenim ibi legitur , Petrum ſermone aliquo Gentilibus legalium obſervantiam indixiſſe , eoſque decretis ſuis ad judaiſmum impuliſſe ; ſed ſolummodò , Judæorum Antiochiam adventantium gratiâ , ab gentilium convictu diſceſſiſſe , ſimulando ſe legis Zelatorem : *Priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo , cum gentibus edebat* : probè nimirùm noſcebat , atque credebat , legalia Chriſti fidelibus haud eſſe ſervanda , nihilque jam apud Deum eſſe circumciſionem , vel præputium ; ſuamque fidem operibus ipſis conteſtabatur , cum gentilibus edendo nullo habito ciborum delectu . *Cùm autem veniſſet , ſubtrahebat , &*

ſe-

ſegregabat ſe ; timens eos, qui ex circumciſione erant: Veritus nempè, nè Judæi legalium zelantiſſimi, ſe veluti legis prævaricatorem, ſuamque doctrinam abjicerent, ab Gentilium menſis, atque convictu interim cenſuit abſtinendum. *Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem:* Petrus ſegregando ſe ab gentilibus, viſus eſt facto ipſo Judæorum opinionem de legis obſervatione poſt Evangelium approbare, in quo ſimulavit proculdubiò, cùm ſententiæ ſuæ veritatem Judæis occultaverit, exteriùs agendo non juxtà ſuam, ſed juxtà illorum opinionem. *Sed cùm vidiſſem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii*, quòd ſcilicet ſimulatis illis operibus Evangelicæ libertati adverſarentur, *Dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Judæus ſis, gentiliter vivis, quomodo gentes cogis judaizare?* exemplo ſcilicet tuo, tuaque ſimulatione. Ex gentibus namque fideles Apoſtolorum principis facto, & auctoritate permoti, & ipſis quoque pro ſalute legalibus utendum opinari cæperant. Tota res in facto conſiſtit, nullumque hac de re Petrus decretum, vel ſermonem habuit.

Et quidem Tertullianus lib. de præſcrip. cap. 23. Petro non jam doctrinæ, ſed converſationis vitium adſcribit, inquiens: *Cæterùm ſi reprehenſus eſt Petrus, quòd cùm*

con-

convixiſſet Ethnicis ; poſtea ſe à convictu eorum ſeparabat perſonarum reſpectu ; utique converſationis fuit vitium, non prædicationis. Idem repetit lib. 1. contra Marcionem, cap. 20. Et ſuffragatur apertiſſimè Auguſtinus Epiſt. 9. ubi Petrum ejuſdem cum Paulo extitiſſe ſententiæ de legalium inutilitate diſertè aſſerit ; ac non jam erroneæ alicujus doctrinæ, ſed quòd facto ipſo gentes ad judaiſmum impelleret, redargutum teſtatur : *Quapropter non ideo Petrum emendavit, quòd paternas traditiones obſervaret, quod ſi facere vellet, nec mendaciter, nec incongruè faceret ; quamvis enim jam ſuperflua, tamen ſolita non nocerent : ſed quoniam gentes cogebat judaizare ; quod nullo modo poſſet, niſi ea ſic ageret, tamquam adhuc etiam poſt Domini adventum neceſſaria ſaluti forent*. Actionibus igitur, ac operibus ſimulatis, quibus ſe Petrus legis oſtentabat obſervatorem, gentiles ad judaiſmum compuliſſe aſſerit Auguſtinus, ac ſubdit, *Quod vehementer per Apoſtolatum Pauli veritas diſſuaſit. Nec Apoſtolus Petrus hoc ignorabat ; ſed id faciebat timens eos, qui ex circumciſione erat*.

Et Epiſt. 19. *Si autem hoc ante illud Hieroſolymitanum Concilium Petrus fecit, nec ſic mirum eſt, quòd eum volebat Paulus non timidè obtegere, ſed fidenter aſſerere quod eum pariter ſentire jam noverat*.

Non

Non ergo Petrus errore aliquo detinebatur, nec Judæorum gratiâ adversùs propriam, veramque ſententiam quidquam decernendum, vel effutiendum eſt arbitratus: in eoque ſolùm reprehenſibilis fuit, quòd illis timens, ſimulatione minùs conſulta, veritatem obtexerit; *Neque enim negamus in hac ſententia fuiſſe jam Petrum, in qua & Paulus fuit. Non itaque tunc eum quid in ea re verum eſſet docebat; ſed ejus ſimulationem, qua gentes judaizare cogebantur, arguebat.*

Ergo fruſtrà Launojus plures Auguſtini congerit auctoritates, ut Petro doctrinæ lapſum affingat; vera ſiquidem, atque germana ejus mens non jam ex iis, quæ obiter ſcripſit, ſed ex illis potiùs, quæ fuſiùs, accuratiùſque hac de re edidit, accipienda eſt. At verò nullibi maximus hic Doctor luculentiùs, ac operoſiùs rem hanc pertractavit, quàm in laudatis ejus Epiſtolis ad Hieronymum, in quibus tamen Petri doctrinam, atque ſententiam laudans, factum ſolummodò reprehendendum exiſtimat. Quòd ſi contendat Launojus, nos Epiſtolarum Auguſtini ſententiam minimè aſſecutos, audiat ſaltem Hieronymum earumdem ſenſum Epiſtolarum, octavæ ſcilicet, ac nonæ, brevibus ſic reſtringentem, Epiſt. 74. *Totius ergo ſermonis tui, quem diſputatione longiſſima protraxiſti, hic ſenſus eſt, ut Petrus non erraverit*

in eo, quòd iis, qui ex Judæis crediderant, putaverit legem eſſe ſervandam; ſed in eo à recti linea deviarit, quòd gentes coegerit judaizare; coegerit autem NON DOCENTIS IMPERIO, SED CONVERSATIONIS EXEMPLO.

Quid, quòd nec teſtimonia, quibus utitur, ſuo ſuffragantur intentui? Primùm producitur ex lib. Expoſit. Epiſt. ad Galat. ubi aſſerit quidem Auguſtinus, voluiſſe Petrum legis jugum gentilibus imponere; non tamen id verbis docendo, ſed ſimulatis operibus; nec eò quidem directis, ut gentes ad Judaiſmum traheret, ſed quò Judæorum evitaret ſcandala; licèt ex hoc malum illud oboriri cæperit. Secundùm ex Epiſt. 19. non moramur; ſat enim jam oſtendimus, quid verè ea in Epiſtola Auguſtinus ſentiat. Tertiùm ex lib. 2. de Baptiſmo contra Donat. cap. 1. aliud non continet, quàm egiſſe Petrum aliter, ac Evangelli veritas poſtulabat; quod nos ultrò concedimus. Similiter quintùm ex lib. 2. contra Creſconium, cap. 32. habet ſolùm, Petrum coegiſſe gentes judaizare. Quartùm ex lib. 6. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 2. ait quidem, Petrum aliquando dixiſſe, quod fieri non debebat, ſed verbum illud, *dixiſſe*, fortaſsè commodiùs explicabitur, quaſi id dixerit ſimulatio ſua, factumque minùs idoneum, ſatis alioquin eloquens.

Dif-

Difficilior videri poterit objectio ex Epiſt. 3. Pelagii 2. ad Epiſcopos Iſtriæ, ubi ſic ſcribit laudatus Pontifex, *Diù quippè reſtitit*, Petrus, *ne ad fidem gentes ſancta Eccleſia ſine circumciſione reciperet; diù ſe a converſarum gentium communione ſubtraxit, Paulo atteſtante .... Numquid, fratres dilectiſſimi, Petro Apoſtolorum principi ſibi diſſimilia docenti, debuit ad hæc verba reſponderi, Hæc quæ dicis, audire non poſſumus, quia aliud ante prædicaſti?* quibus ſanè verbis error non qualiſcumque, ſed doctrinæ ſtatui videtur. Percontemur tamen Launojum, an hiſce verbis eumdem tribuat ſenſum, ac Apoſtolico textui, vel alterum? Hoc certè non aſſeret, alioquin ſeipſum fruſtraretur: Aſſeverabit ergo primum; propterea que, vel ipſo Judice, eadem eſt Apoſtoli, ac Pelagii II. ſententia. At verò Apoſtolus diſertim docet, Petrum Antiochiæ degentem ante Judæorum adventum gentilibus fidelibus convixiſſe, deinceps verò Judæis timens, ſubtraxiſſe ſe ab illorum convictu: *Priùs enim quàm venirent quidem à Jacobo, cum gentibus edebat, cùm autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant*: Nimirùm tantùm abeſt, Petrum diù reſtitiſſe, ne gentes incircumciſæ ad fidem admitterentur, quin apertiſſimè Paulus oppoſitum conteſtetur. An non primus Apoſtolorum, qui circumci-

ſionem , cæteraque legalia poſt Evangelium inutilia exiſtimaverit , Petrus fuit ? Conſulantur Apoſtolorum Acta cap. 10. & 11. ubi Petrus Cornelium Centurionem, ejuſque familiam divino juſſu baptiſmo abluit , cum eoque aliquandiù permanſit, atque comedit, poſthabitis legalibus; hujuſque rei Judæis adverſum ſe diſceptantibus rationem reddidit. Si hæc eadem eſt Pelagii verborum ſententia, vel ipſe Launojus definiat, an ſibi ſuffragentur, an ſcilicet doctrinæ, vel potiùs puri facti errorem contineant?

Ergo verba illa, *Diù quippè reſtitit, ne ad fidem, &c.* non jam eum habent ſenſum, quaſi Petrus contenderit, productis argumentis, ac teſtimoniis, gentiles haud recipiendos, niſi Moſaicæ legis jugo colla ſubmitterent, Paulo obſiſtente, ac denique prævalente; id enim clariſſimis ſcripturæ textibus refragatur. Sed quantum conjecto, Pelagii mens eſt, Petrum ſe ſubtrahentem, gentiles ſæpiùs ut eis conviveret, quemadmodum conſueverat, invitaſſe; id verò eum, Judæis timens, abnuiſſe, in ſuaque ſimulatione, ac reſiſtentia diù permanſiſſe, donec ſcilicet Pauli reprehenſione correctus fuit: Docuiſſe verò, ac prædicaſſe, gentiles niſi circumciderentur, minimè admittendos, non jam decretis, aut ſermonibus ad hæc perſuadenda concinnatis, ſed facto ipſo, conſultaque ſimulatione.

Sed

Sed inquies, id ſatis eſſe ut Petrus erroneæ doctrinæ reus fiat: neque enim verbis tantummodò, ſed factis quoque, & quidem efficaciùs, falſa dogmata invehi poſſunt; longè ſiquidem faciliùs eſt exemplis perſuadere, quàm verbis. Itaque cùm Petrus ſic ſimulandum exiſtimaverit, ut ſimulatione ſua veluti inſinuaret, legalia nedum Judæis, verùm etiam gentilibus eſſe ſervanda, ut notat Auguſtinus Epiſt. 9. *Sed quoniam gentes cogebat judaizare: quod nullo modo poſſet, niſi ea ſic ageret, tamquam adhuc etiam poſt Domini adventum neceſſaria ſaluti forent*; jam falſæ doctrinæ aſſertor habendus eſt, quippè qui factis ipſis illam effundere cœperit.

At res non ita ſe habuit: Petrus etenim legalium obſervantiam ſimulavit, non quò ſimulatione ſua Gentilibus inſinuaret id quoque iis faciendum eſſe; ſed ut Judæi illùc appulſi ſe patriis legibus adhærere conſpicerent, eorùmque zelus nullius ſcandali occaſionem acciperet. Probè ſiquidem ipſe ingenia Judæorum noverat, ſciebatque, nullum eos ab ſe deinceps doctrinæ verbum audituros, ſi ſe legalium deſertorem comperti forent. Eorum ergo ſaluti ſtudens, ſe coram eis legis obſervatorem ſimulat, non quò illos in errorem ſtabiliat, ſed œconomiæ gratiâ, ut hac eos ratione ſenſim paulatimque à priſcis, ac conſuetis revocet inſtitutis, no-

va-

vaque faciliùs invehat . Et his etiam motivis Paulum circumcidiſſe Timotheum aſſerit Chryſoſtomus Homil. 34. in Acta Apoſt. inquiens : *Hæc eſt cauſa circumcidendi ; Non enim ferebant* (Judæi) *audire verbum ab incircumciſo . Et cur ? vide opus : Circumcidit ut circumciſionem tollat . . . . . dogma aſſerebant non circumcidendi , & circumcidit .*

Et res quidem utilis erat , optimèque cedebat Judæis , pro quibus ſimulatio patrabatur , minimè verò Gentilibus , qui Petrum ad legis opera reverſum aſpicientes , ejuſque conſilium ignorantes , nutabundi , atque perplexi uſui legalium ſeſe jam accommodabant: Et licèt ad hoc Petrus opus ſuum minimè direxiſſet , id tamen contigit : & fortaſsè ſimulationem ſuam gentilibus , ac Evangelicæ veritati , cujus probè erat inſtructus , perniciosam comperiens , jamjam ab ea diſceſſurus erat , quidve interiùs ſentiret , liberè profeſſurus ; ſed eum reprehendendo prævenit Paulus .

In hoc ergo lapſus eſt Petrus , quòd ut Judæis nimiùm conſuleret , gentiles neglexit , cùm tamen æquè omnium paſtor eſſet , cunctorumque ſaluti æquè providere debuiſſet . Utendum itaquè potiùs ipſi fuiſſet auctoritate prælati , ut ait Doctor Subtilis , ac illud , quod verum interiùs ſentiebat , minimè gratiâ Judæorum obtegere , ſed coſtanter coram om-

omnibus prædicare. Neque debuiſſet vereri, nè Judæi ſcandalum paterentur; quibus olim hac ipſa de re adversùm ſe diſceptantibus, *Quòd ad viros præputium habentes introiſſet, & manducaſſet cum illis*, Act. 11. divinam revelationem de legalium inutilitate ſibi factam expoſuerat, remque adeò eis perſuaſerat, ut nedùm eum coarguere deſtiterint, ſed Deum quoque glorificaverint, *His auditis tacuerunt, & glorificaverunt Deum, dicentes, Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*. Huic ergo doctrinæ, quam princeps ipſe docuerat, apertè ſiſtendum fuiſſet ei; & ſi qui Judæorum ſcandalum fuiſſent paſſi, medendum illis fuiſſet non ſimulatione, ſed libera, ac iterata veritatis patefactione, ut inquit Auguſtinus Epiſt. 19. *Proinde ſi poſt hoc Apoſtolorum decretum* (in Hieroſolymitano Concilio) *Petrus habuit illam in Antiochia ſimulationem, qua gentes cogebat judaizare..... Quid mirum ſi conſtringebant eum Paulus liberè aſſerere quod cum cæteris Apoſtolis ſe Hieroſolymis decreviſſe meminerat?*

Leviſſimus tamen fuit hic Petri lapſus, & materialis tantummodò, quippè in quem ex inconſideratione, vel defectu luminis, & prudentiæ ceciderit, ut obſervat à Lapide. Arbitrabatur etenim bonâ fide ſe Judæorum, quorum hactenus ſpecialis fuerat Doctor, & Apoſtolus, offenſionem cavere debere potiùs

quàm

quàm Gentilium ; idque gentes ſcire , aut facilè cogitare poſſe. At erravit ſic opinando. Ut enim ſapienter notat à Lapide, *Vix poteſt humanæ mentis infirmitas in rebus perplexis omnes circumſtantias ita conſiderare, & librare, ut non aliquando cæcutiat, eligatque id quod ſibi bonum videtur reſpectu unius, non conſiderans id malum eſſe reſpectu alterius*. Et licèt Spiritus Sanctus in Apoſtolos deſcendens eos deinceps confirmaverit in prudentia, & gratia, ut peccata omnia mortalia devitarent, non tamen ut etiam venialia omnia effugerent, ut Theologis omnibus eſt inconfeſsò.

CAPUT VII.

An ex hoc facto Paulum Petro ſuperiorem, vel ſaltem parem fuiſſe, inferri poſſit, examinatur.

SEed quoniam litigioſis nunquam lites deſunt, eiſque quælibet occaſio peropportuna eſt, ut veritati diem dicant, Pontificiæ auctoritatis emuli ex facto, quo de hactenus egimus, haud leve ſe nactos argumentum autumant, quo vel illam prorsùs inficientur, vel arctioribus circumſcribant limitibus. Paulus, inquiunt, coram adſtante fidelium cætu correxit, ac reprehen-

hendit Petrum : reprehendentis verò quàm reprehenſi potior eſt auctoritas , vel , ut id detur æqualis : eſt ergo Paulus Petro ſuperior , vel , quò id nobis indulgeant , eo non inferior. Opinionis hujus princeps fuit Julianus Apoſtata , teſte Cyrillo contra Julianum lib. 9. ſub finem ; & quoniam , veteri proverbio , pares cum paribus facillimè congregantur , in idemque conſpirant , noſtrorum temporum Novatoribus Apoſtatæ commentum nimiùm arriſit , eique libentiſſimè ſubſcripſerunt.

Sed enim in rebus ad Eccleſiæ dogmata ſpectantibus potior eſt Scripturarum , Traditionum , Sanctorumque Patrum auctoritas deſultoriæ impietatis excurſibus : Calvinus verò ne tantùm procax , ſed ridiculus quoque eſt , quippè qui Patrum omnium , Eccleſiæque univerſæ doctrinas contemnens , Apoſtatæ longè ſceleſtiſſimi mendaciis adſtipulatur ; dignus profectò talis magiſtri diſcipulus. Neque enim unquam Paulo à Domino dictum legitur , *Paſce Agnos meos* , *Paſce Oves meas*, omnium nempè fidelium te Paſtorem conſtituo , te fidelem , prudentemque diſpenſatorem ſuper familia mea delectum volo , quòve nil tanto deſit muneri , totius auctoritatis claves tibi trado ; quæ tamen Petro dicta eſſe neminem latet. Niſi fortaſsè Dominum anteactorum pœnituiſſe , deincepsque Petrum indultis titulis exuiſſe , iiſque Pau-

lum exornaſſe, dicendum velint; quod cùm gratis aſſeverari non poſſit, oſtendendum eis ſupereſt, ubi, & quando contigerit.

At Petrum Paulus reprehendit: Et Veteranus quidam Auguſtum, & muliercula Trajanum; an idcircò & veterano Auguſtus, & muliercula Trajanus inferior? Et quò exemplis aptioribus, veluti ex ſcriptura decerptis, utamur, Joab acriter reprehendit Davidem, 2. Reg. 19. & Jethro Moyſen Exodi 18. nec tamen propterea aut Joab Davidi, aut Jethro Moyſi præpoſuerimus. Subditos à recti via declinantes Prælatus jure poteſtatis corrigit; Prælatis verò ab recti, veri, juſtique tramite deflectentibus ſubditi jure veritatis obſiſtunt: Magna eſt proculdubiò Principum, atque Pontificum auctoritas, *Sed veritas manet, & invaleſcit in æternum, & vivit, & obtinet in ſæcula ſæculorum; nec eſt apud eam accipere perſonas, neque differentias*. Eſt itaque Petro inferior Paulus, ſed veritas Petro ſuperior eſt: nulla eſt Paulo in Petrum auctoritas; at omnes veritati ſubdimur, eamque cujuslibet ſortis homo colere, adorare, proque viribus vindicare debet.

Et mirum ſanè eſt, factum hoc Heterodoxis videri aptum, quò Petri primatui obſtrepant, ac inſultent, cùm tamen cuncti Eccleſiæ Doctores eo uſi ſint ad illud ampliſſimè celebrandum. Pleraque teſtimonia

ſupe-

ſuperiùs cap. 4. protulimus, quibus hîc alia quædam ſubnectere non pigebit: Cyrillus Alexandr. lib. 9. contra Julian. in fine, *Ad hæc audax ille, & confidens Petrum Apoſtolorum præcipuum cavillatur, & hypocritam eſſe dicit, atque à Paulo reprehenſum, &c.* Hieronymus in Epiſt. ad Galat. *Quòd ſi cui iſte non placet ſenſus, quo nec Petrus peccaſſe, nec Paulus procaciter oſtenditur arguiſſe majorem, debet, &c.* Gregorius Magnus homil. 18: in Ezechielem, *Seque etiam*, Petrus, *minori fratri ad conſenſum dedit, atque in eodem re factus eſt ſequens minoris ſui, etiam ut in hoc præiret; quatenus qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet & primus in humilitate*. Auguſtinus lib. 2. de Bapt. contra Donatiſtas, cap. 1. *Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in ſcripturis ſanctis didicimus: Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas poſtulabat, de circumciſione agere ſolitum, à poſteriore Apoſtolo Paulo eſſe correctum*. Sic Patres Paulum inferiorem Zelotem, Petrumque ſuperiorem humilem dignis encomiis evehunt.

At inquies, Paulum à Domino delectum fuiſſe, ut ſibi vas eſſet electionis, ſuumque nomen portaret coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael, Act. 9. ipſeque de ſe teſtatur, ſibi omnium Eccleſiarum curam in-

cumbere, 2. ad Corinth. 11. quæ ſanè niſi majorem, certè haud inferiorem innuunt poteſtatem, quàm verba illa, *Paſce oves meas.* Hinc SS. Patres Paulum Petro æqualem faciunt, Epiphanius Hæreſi 27. *Romæ primi omnium Petrus, & Paulus Apoſtoli pariter, & Epiſcopi fuerunt.* Irenæus lib. 3. adversùs hæres. cap. 3. ait, *Eccleſiam Romanam à Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo inſtitutam fuiſſe, ac fundatam.* Divus Maximus Taurinenſis ſerm. 5. in Feſto Apoſtolorum, eos appellat *Principes Eccleſiarum, & fidei Chriſtianæ.* Denique pluribus aliis omiſſis, Gregorius Magnus lib. 1. Dialog. cap. 12. *Numquidnam neſcis quoniam Paulus Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo in principatu Apoſtolico frater eſt?*

Hæc tamen nullam ingerunt difficultatem, Paulum etenim in omnibus Petro parem æqualemque fatemur, modò unum excipias capitis privilegium? Epiphanius eos pariter Apoſtolos, ac Romanos Epiſcopos vocat, ſpectato utique docendi munere, non jure regendi. Irenæus verò Romanam Eccleſiam æquè ab ipſis inſtitutam, atque fundatam aſſerit, quòd ambo illic Evangelium prædicaverint, & gentes, Judæoſque inibi degentes ad Chriſti fidem adduxerint, quod longè aliud eſt, ac eos æquali auctoritate fuiſſe præditos. Verba Maximi haud egent expoſitore, ſatis enim ipſe ibidem explicat,

quo

quo ſenſu eos Eccleſiarum Principes appellaverit, inquiens, *Petro ſicut bono diſpenſatori clavem Regni Cæleſtis dedit : Paulo tanquam idoneo Doctori magiſterium Eccleſiaſticæ inſtitutionis injunxit ; ut quos iſte erudierit ad ſalutem, ille ſuſcipiat ad quietem ; ut quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat Regna Cælorum...... Ambo igitur claves à Domino perceperunt, ſcientiæ iſte, ille potentiæ*. En potentiam, capitis ſcilicet auctoritatem, ſupremamque juriſdictionem Petro attributam, non Paulo. Gregorius denique ſententiam ſuam diſertè aperit verbis laudatis iſta ſubjiciens, *Scio equidem, nec dubium eſt, quia & ſi minimus omnium Apoſtolorum, plus tamen omnibus laboravit*. Nimirùm Petro Eccleſiarum omnium Paſtori frater eſt Paulus earumdem Doctor; Petrus auctoritate, Paulus doctrina cæteros antecellunt, ipſi nobis Deum ſuis precibus propitium faciant.

DIS-

DISSERTATIO
UNICA

Eleutherii vindicias complectens.

TErtullianus Eccleſiæ jam deſertor, irriſor, & oppugnator, cap. I. libri adversùs Praxeam hæreticum, Patris, & Filii divini perſonas minimè diſtinguentem, Romani cujuſdam meminit Pontificis, qui Montani novas prophetias amplexus, atque Phrygiæ, Aſiæque Eccleſiis nimiùm conturbatis, ob Montanumque plurimùm diſcordantibus, ſuis literis pacem inferens, Praxeæ tunc Romam ex Aſia appulſi opera, prædictas prophetias abjecit, dataſque literas revocavit: *Nam idem*, inquit, Praxeas, *tunc Epiſcopum Romanum agnoſcentem jam prophetias*

Mon-

Montani, Priſcæ, & Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ, & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis, & Eccleſiis eorum aſſeverando, & præceſſorum ejus auctoritates defendendo coegit, & literas pacis revocare jam emiſſas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſere. Quiſnàm verò is fuerit Romanus Pontifex. Tertulliani aliorumque ſilentio redditur ſubobſcurum, nec una eſt hujuſce rei opinio Recentiorum. Eminent. Annalium Parens arbitratur, eum fuiſſe Anicetum, Valeſius in Notis ad Euſebium, Eleutherum potiùs fuiſse cenſet. Pagi veriſimiliùs eſt fuiſſe Victorem. Natalis demùm Alexandri Zephyrinum fuiſſe autumat.

CAPUT I.

Expenditur quiſnàm fuerit ille Romanus Pontifex, cujus meminit Tertullianus?

INficiamur imprimis Pontificem hunc fuiſſe Anicetum. Satis namque compertum eſt, Anicetum Montani hæreſim præceſſiſſe; quippè qui è vivis ſublatus fuerit anno Marci Aurelii octavo, vel nono incæpto, ut auctor eſt Euſebius tùm in Chronolog. tùm lib. 4. Hiſt. cap. 19. Quod etiam

fit

ſit clariùs ex proemio lib. 5. Hiſt. ubi Eleutherii electio conſignatur anno decimo ſeptimo Marci Aurelii; è quibus ſi detrahantur anni octo Pontificatus Soteris (tot enim ad minus Soteri annos tota tribuit antiquitas, non quatuor, ut perperam Eminent. Baron.) reliqui fiunt anni novem Imperii Marci Aurelii: anno igitur hujus Imperatoris nono Soter Aniceto ſuffectus eſt. At verò Montani hæreſis erupit anno Marci Aurelii undecimo, ut Euſebius notat in Chronico; conſequens ergo fit, Aniceti obitum montaniſmi initia biennio præceſſiſſe.

Non equidem me fugit, Epiphanium montaniſmi epocham conſignare anno Antonini pii decimonono; quod ſanè ſi vero congruit, Aniceto adhuc ſuperſtite, imò diù ante ejus deceſſum montaniſmus erupit. Sed fortaſsè verior eſt Euſebii chronotaxis, quippè qui illis propinquior temporibus, & Epiphanio eruditior, atque in hiſce rebus conſtituendis exactior. Neque ſolùm in chronico, ſed etiam in Hiſtor. hæreſeos hujus initia ſub Marco Aurelio ſtatuit Euſebius; Etenim lib. 4. cap. 27. loquens de Apollinare Epiſcopo Hierapolitano, inquit, *Apollinaris verò licèt penès multos multa extent opera, hæc tamen ſola ad nos pervenerunt: Oratio ad ſupradictum Imperatorem: adverſùs Gentiles libri quinque .... Et alii quos poſtmodùm ſcripſit contra Cataphrygum hæreſim;*

reſim, quæ quidem non longè poſtea maximos tumultus excitavit: TUNC TEMPORIS primùm enaſci cæperut, Montano cum falſis vatibus ſuis adhuc erroris ſui fundamenta jaciente. Tempus hîc deſignatum ſubſequitur ſeptimum Marci Aurelii annum, quo occaſione perſecutionis in Chriſtianos excitatæ, Apollinaris orationem Apologeticam concinnavit Imperatori Marco Aurelio tradendam, ut cap. 26. ejuſdem libri diſertè conſtat. Si his ergo temporibus Montaniſmus oboriri cæpit, jam ejus initia conſtituenda ſunt poſt ſeptimum Marci Aurelii annum.

Quin licèt concedamus veram eſſe Epiphanii ſententiam, atque ſub Aniceto cæpiſſe Montani hæreſim, id tamen Eminentiſs. Baronio minimè ſuffragatur. Tertullianus namque verbis ſuper allatis ait, Praxeam Romam appulſum, Romanum illum Pontificem à Montaniſmi probatione deterruiſſe, tùm *falſa de ipſis* (Montano ſcilicet, Priſca, & Maximilla) *& Eccleſiis eorum aſſeverando*, tùm *præceſſorum ejus auctoritatem defendendo*, præceſſorum nempè ejus, qui aut Montaniſmum non probaverant, aut prorsùs reſpuerant. Porrò ſi ſub Aniceto Montaniſmus erupit, nullus profectò Aniceti præceſſor hæreſiarchæ huic potuit obſtitiſſe, ut luce ipſa eſt clariùs; conſequenter Pontifex ille, quo de loquitur Tertullianus, Anicetus eſſe non potuit.

Sed neque eum Zephyrinum fuiſſe crediderim; hic etenim Sanctus Pontifex Apoſtolicam obtinuit Cathedram viginti octo ſaltem annis ab novarum eruptione prophetiarum: veriſimile autem eſt, Montani calliditatem errores ſuos cautiùs ſub initium obtegentis, tot annorum beneficio fuiſſe omnibus exploratam. Sanè Tertullianus lib. de præſcript. adversùs hæret. quem primo, vel ad ſummum quarto Zephyrini anno lucubravit, cap. 52. Montani hæreſim ſupponit proclamatiſſimam, atque jam in alios diſciſſam errores: *Acceſſerunt*, inquit, *alii hæretici, qui dicuntur ſecundùm* Phrygas; *ſed horum non una doctrina eſt. Sunt enim qui* Kata Proclum *dicuntur, ſunt qui ſecundùm* Æſchinem *pronunciantur: hi habent aliam communem blaſphemiam; aliam blaſphemiam non communem, ſed peculiarem, & ſuam: & communem quidem illam, qua in Apoſtolis quidem dicant Spiritum Sanctum fuiſſe, paracletum non fuiſſe: & qua dicant, paracletum plura in Montano dixiſſe, quàm Chriſtum in Evangelium protuliſſe; nec tantùm plura, ſed etiam meliora, atque majora, &c.* At verò Sanctiſſimum hunc Pontificem hæreſim jam detectam, omnibuſque compertam, fuiſſe complexum, quis credere auſerit?

Et quidem Tertullianus lib. adversùs Praxeam verbis ſuperiùs allatis, ſat innuit,

quo

quo tempore Pontifex ille pacis literas emiſit, Montani hæreſim adhuc in latebris extitiſſe, pietatis larvâ contectam, nihilque de ea certi Romæ auditum fuiſſe; ait namque, Praxeam ex Aſia tunc Romam appulſum, falſa (intellige vera) de novis Prophetis, eorumque Eccleſiis aſſeverando, Romanum Pontificem à propoſito Montano favorabili revocaſſe. Adhuc ergo Montani hæreſis Romæ minimè detecta erat, cùm illùc Praxeas advenit, cùmque Romanus ille Pontifex pacis literas emitteret. Haud ergo is Zephyrinus extitit, quippè cujus tempore Montani errores vulgatiſſimi jam, ac in ore omnium eſſent, & ubique proſcripti.

Inficiantur quidem Critici recentiores, hæreticorum catalogum incipientem à cap. 45. lib. de præſcript. ad ultimum uſque, unde nuper teſtimonium protulimus, Tertulliani opus eſſe, tùm ob ſtyli, ut ajunt, diſſimilitudinem, tùm quòd in exemplaribus quibuſdam antiquioribus hujuſmodi catalogus non occurrat. Sed tamen haud ita viſum eſt Pamelio in Tertulliani vita, Eminentiſs. Baronio ad Chriſti annum 173. num. 3. & 36. Antonio Pagi in ſua Critica Hiſtorico-Chronologica ad annum Chriſti 171. aliiſque doctiſſimis, ac eruditiſſimis Scriptoribus, qui catalogum hunc adſcribunt Tertulliano. De ejus ſanè vetuſtate certos nos facit Hieronymus in Dialogo adverſ. Luciferianos ſub

 finem,

finem, ubi ex eo pleraque, paucis immutatis, tranſcribit .. Quòd attinet ad ſtylum, hiſtoricus ille eſt, planior, atque liquidior ſtylo aliorum operum; hanc porrò ſtyli varietatem in operibus, quæ certò Tertulliani ſunt, quilibet facilè offendet. Quòd ſi in vetuſtis aliquibus exemplaribus hic catalogus non occurrit, occurrit certè in aliis, quibus uſus eſt Pamelius, aliique viri docti.

Aſſererem Pontificem hunc controverſum fuiſſe Victorem, niſi conſpicuus Euſebii locus lib. 5. Hiſt. cap. 3. ab ea me opinione revocaret. Teſtatur etenim illic Euſebius, Epiſcopos Gallos de Montano, ejuſque aſſeclis ſuum habuiſſe judicium, illudque cum Epiſtolis martyrum, quas priuſquàm interficerentur ad Eleutherum, & ad Aſiæ, ac Phrygiæ Eccleſias ſcripſerant, ad Eleutherum ipſum miſiſſe, de illarum pace Eccleſiarum ob novas diſſentientium prophetias chriſtianè ſoliciti: *Cæterum*, inquit, *cùm Montanus, & Alcibiades, ac Theodotus tunc primùm in Phrygia opinione hominum Prophetæ celebrari cæpiſſent ..... cùmque illorum hominum cauſa diſſentio orta eſſet; qui in Gallia erant Fratres, privatum de his judicium ſuum, religioſum imprimis, & cum recta fide conſentiens, rursùs eidem Epiſtolæ ſubjunxerunt, prolatis interfectorum apud ſe martyrum variis Epiſtolis, quas illi*

illi dum in vinculis adhuc eſſent, partim ad Fratres in Aſia, & Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanæ Urbis Epiſcopum ſcripſerant, pro pace Eccleſiarum quaſi legatione fungentes.

Si in rebus ſubobſcuris licitum eſt conjectari, videtur mihi, quod & Valeſio viſum fuit, locum hunc haud parum congruere verbis Tertulliani cap. I. lib. adverſ. Praxeam, ſuperiùs allatis, quibus meminit Romani Pontificis Eccleſiis Aſiæ, Phrygiæque pacem inferentis, atque hoc conſilio pacis literas jam emittentis. Quid ergo obſtat, nè Pontificem hunc Eleutherum fuiſſe dicamus? Veriſimillimum namque eſt Eleutherum acceptis Gallorum Epiſtolis, eum pro illarum pace Eccleſiarum deprecantium, pacis literas emiſiſſe; neque enim Montani error compertus jam erat, eoque claritatis devenerat, ut is manifeſtus haberetur hæreticus, aliunde de diſſentione conſtabat: quas deinceps literas, Praxeâ monente, atque rem omnem detegente, opportunè revocare potuit.

Sed inquies, ex Tertulliano ſæpiùs laud. lib. adverſ. Praxeam, cap. I. colligi, Pontificem illum pacis literas revocaſſe Praxeæ operâ, *Præceſſorum ejus auctoritates defendendo*, Præceſſorum abdubiò ejus, qui Montaniſmum abjecerant. Porrò ſi Eleutherus is fuit, id minimè verum erit, quandoqui-

quidem Montaniſmus ſub Sotere immediato Eleutherii Præceſſore obortus fuerit, qui propterea ab Eleutherii præceſſoribus reprobari non potuit. Sed facilè occurritur, potuit namque Soter rejicere Montaniſmum, confuſum tunc maximè, ac obſcurum, ut ex laudatis Tertulliano, & Euſebio diſertè conſtat, titulo novitatis nunquam non ſuſpectæ, nunquam non devitandæ. Id comprobat Anonymus à Sirmondo in lucem editus, Hæreſi 26. de Cataphrygibus, inquiens, *Scripſit contra eos librum 5. Soter Papa Urbis*. Quòd verò ab uno prædeceſſorum factum eſt, & ſæpiùs, & non incongruè à prædeceſſoribus factum dici ſolet.

Dices iterùm, Tertullianum verbis allatis lib. adverſ. Praxeam, nedum aſſerere Pontificem illum Montani Prophætias abjeciſſe, ſed etiam Praxeæ hæreſim confoviſſe, ac roboraſſe: *Non iſte*, inquit (de Praxea loquitur) *primus ex Aſia hoc genus perverſitatis intulit Romanæ humo*; & infrà, *Ita duo negotia Diaboli Praxeas Romæ procuravit, prophetiam expulit, & Patrem crucifixit*. Hæc verò Tertullianum de Eleuthero ſcripſiſſe haud eſſe veriſimile, quippè de quo jam vitâ functo in lib. de præſcript. cap. 30. honorificè admodùm locutus fuerat. His verò perſtringi Victorem eſſe veroſimilius, idque comprobare ejuſdem Tertulliani verba lib. de præſcript. cap. 53. *Sed*

poſt

poſt hos omnes etiam Praxeas quidam hæreſim introduxit, quam Victorinus corroborare curavit. Cujus etenim Victorini nomine Victorem Papam innuit exiſtimat Pagi.

At hæc etiam objectio nihil ingerit difficultatis. Imprimis nuſquam Tertullianus aſſeruit, Romanum Pontificem ſpecialem Praxeæ hæreſim confoviſſe: neque id probant allata ejus verba ex lib. adverſ. Praxeam, quibus innuitur quidam, cum ſuam Romæ hæreſim effudiſſe, minimè verò Pontificem ſuam huic rei operam contuliſſe. Quin conſtat potiùs, Praxeam Romani Pontificis, aliorumque catholicorum opera errores ſuos revocaſſe, atque abjuraſſe, licèt deinceps ad vomitum redierit: *Denique*, inquit ibidem, *caverat priſtinum doctor de emendatione ſua, & manet chirographum apud Pſychicos, apud quos tunc geſta res eſt, exinde ſilentium..... Avenæ verò illæ ubique tunc ſemen excuſſerant. Ita aliquandiu per hypocriſin ſubdola vivacitate latitavit; & tunc denuò erupit*. Neque crediderim, Tertullianum catholicum, qualis erat dum librum de præſcript. adornabat, de Victore Summo Pontifice ſcripſiſſe, quòd Praxeæ hæreſim roborarit; quod ſanè de tali Pontifice nonniſi per ſummam calumniam dici, aut aſſeri poteſt; Nemo etenim hactenus inventus eſt antiquus, vel recens Scriptor, qui Victorem inter Patropaſſianorum fautores

res

res adnumerarit. Quocirca Pagi conjecturæ noſtrum calculum adjicere non poſſumus. Non me latet, recentiores quoſdam inficiari, librum de præſcriptionibus concinnatum à Tertulliano adhuc catholico. At ſi res accuratiùs conſideretur, conſtabit proculdubiò, Tertullianum in prædicto libello nedum cæteras hæreſes, ſed Montaniſmum quoque refellere, non ſolùm in catalogo, quem negant eſſe ejus opus, ſed etiam in præcedentibus capitibus, quibus præſcriptiones continentur.

Sed ſit ita, Tertullianum nempè Pontifici illi favorem Praxeanæ hæreſi affinxiſſe; quidni tamen illum Eleutherum fuiſſe aſſeverare poterimus? De hoc, inquies, honorificè antea locutus fuerat. Quaſi ſcilicet maxima extiterit Tertulliani firmitas, atque conſtantia, & non potiùs nimiæ ejus levitatis clariſſima ſint argumenta. Nam qui Eccleſiam, & fidem deſerere, pro qua tamdiù, & fortiſſimè dimicaverat, hæreticamque pravitatem amplecti potuit, longè faciliùs Eleutherum antea collaudatum, deinceps contumeliis afficere potuit, & id quidem conſentaneè; nullus enim innumerorum hæreticorum, qui Orbem hactenus fœdaverunt, Romanorum Pontificum laudator fuit.

CAPUT II.

Montaniſmi ortus, atque progreſſus brevibus explicatur.

QUò verò clariùs, atque diſertiùs procedamus, ab re non erit aliqua de Montaniſmi ortu, ac progreſſu bravibus prænotare. Montanum genuit *Ardaba* Pagus Myſiæ, an majoris, vel minoris haud eſt compertum. Chriſti fidem profeſſus, paulò poſt vana quædam, & inaudita, dæmone repletus, vaticinari cæpit. De tempore quo peſtis hæc eruperit, ſat ſuperiùs dictum eſt. Duas ſibi aſcivit mulierculas, quas fuiſſe nobiles, ac opulentas, teſtatur Hieronymus ad Cteſiphontem; atque viros habuiſſe, illoſque à Montano ſeductas, ipſumque ſecutas reliquiſſe, ſubdit Apollonius illorum temporum auctor apud Euſebium lib. 5. Hiſt. cap. 18. cùmque ſe Paracletum jactaret, Priſcam, & Maximillam, ſic dictæ mulierculæ vocabantur, tanquam prophetiſſas honorari, ac ſuſcipi jubebat. Quoniam verò hæreſis hæc in Phrygia oborta eſt, ibique plurimùm invaluit, factum inde eſt, ut ejus Sectatores Cataphrygæ vocati fuerint.

Et ſub initiis quidem ea cæperunt offundere, quæ ſeverioribus, atque rigidioribus Chriſti fidelibus non prorsùs improbarentur, imò probarentur: Iteratas nimirùm nuptias haud eſſe concedendas; perſecutionis tempore, inſtanteque martyrio illicitam eſſe fugam: tribus quolibet in anno quadrageſimis eſſe jejunandum; Mæchos, alioſque gravioribus delictis obnoxios, ad pœnitentiam haud eſſe recipiendos. Nam cæteros errores huic ſectæ aſcriptos, non tàm Montanus, quàm ejus diſcipuli invexerunt; ut quòd in Apoſtolis Spiritus quidem Sanctus fuerit, non verò Paracletus; qui plura, & meliora quidem, atque majora in Montano dixerit, quàm Chriſtus in Evangelio protulerit. Jam verò divinarum confuſio perſonarum ab Æſchine quodam Montaniſta ſubintroducta eſt; cùm tamen Montanus de Trinitatis myſterio non malè ſenſerit, ut teſtantur Phylaſtrius, & Epiphanius, inquiens, *Nam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eadem cum Eccleſia Catholica ſentiunt*.

Quinimmò aliquibus viſum eſt, Montaniſtas priuſquàm eam in hæreſim incidiſſent, viros fuiſſe inſigni pietate, miraculis, & vaticiniis claros, adeo ut etiam in hæreſim prolapſi, hanc multis, ſanctiſque viris impoſuerint; hujuſque rei teſtem proferunt Euſebium lib. 5. Hiſt. cap. 3. inquientem, *Cùm Montanus, & Alcibiades, & Theodotus*

dotus in Phrygia jam prophetandi opinionem apud complures adepti fuiſſent (permulta enim, divinâ gratiâ largiente, miracula, & opera ſtupenda ad illud uſque tempus per varias Eccleſias edita, fidem multis faciebant, illos etiam donum prophetiæ fuiſſe conſecutos) cùmque de his hominibus controverſia orta eſſet, &c. Quæ quidem verba perpendens Eminent. Baronius ad Chriſti annum 173. num. 2. opinioni huic diſertim aſtipulatur, inquiens, *Hæc de illis cùm ſcribat Euſebius, penè ſignificare videtur, eos aliquando rectè ambulaſſe, ac divinâ gratiâ illuſtratos ſigna, & miracula edidiſſe.*

Hanc tamen opinionem ab hiſtoriæ veritate nimiùm abhorrere, faciłè comperiet quicumque laudata Euſebii verba accuratiùs examinabit; iis etenim dumtaxat aſſeritur, Montani pſeudoprophetias eò etiam fidem adeptas, quòd vera tunc ſigna, & miracula in Eccleſiis fieri ſolerent; nuſquam verò dicit, eum, ſuoſque ſectatores divinæ gratiæ ſigna, atque miracula edidiſſe. Imò qualia Montaniſmus initia ſortitus fuerit, multis explicat cap. 16. prædicti libri, ex Anonymo nobili illorum temporum Scriptore, quem perperam Baronius Apollinarem Hierapolitanum credidit. Is porrò Anonymus ait, *Vicus quidam eſſe dicitur in Myſia contermina Phrygiæ, nomine Ardaba. In quo ajunt,*

Montanum quemdam ex iis, qui fidelium numero recens adſcripti fuerant, immodica primi loci cupiditate captum, primùm ſub Grato Aſiæ Proconſule aditum in ſe adverſario ſpiritui præbuiſſe: & Dæmone repletum, ſubito quodam furore, ac mentis exceſſu concuti cæpiſſe, & nova quædam, atque inaudita proloqui, hariolantem, ac prædicentem futura præter morem, atque inſtitutum Eccleſiæ à majoribus traditum, & continua deinceps ſucceſſione propagatum. En quomodo Montaniſmus ab ſuis initiis divinâ gratiâ deſtitutus, maloque repletus demone, pſeudoſigna, ficta miracula, vanaſque prophetias ediderit!

Quòd vero multis, ſanctiſque viris fucum fecerint, inficiatur laudatus Anonymus; loquens enim de iis, qui à Montano, ejuſque prophetiſſis decepti fuerant, inquit, *Hi perpauci erant Phryges hujuſmodi fraude decepti. Univerſam verò, quæ per orbem terrarum ſparſa eſt, Eccleſiam, idem ille arrogantiſſimus ſpiritus maledictis appetere eos docebat, eò quòd nec honorem, nec aditum ullum ad ipſam pſeudopropheticus ſpiritus reperiret.* Hos autem perpaucos Phrygas ex ſimplicioribus, minuſque cautis fuiſſe paulò ante declarat. Longiùs tamen, latiùſque pervagatus deinceps eſt error, atque plures alias Aſiæ Eccleſias conturbavit, ut illarum partium Epiſcopi ſæpiùs, plurimiſque

que

que in locis convenire, & concilia celebrare coacti fuerint, ut idem Auctor teſtatur, Nec ambigendum eſt, eos ad Romanum Pontificem novas prophetias detuliſſe, quos vel Gallos Epiſcopos hac de re conſuluiſſe conſtat ex Euſebio lib. 5. cap. 3. ejuſque rei fidem facit Anonymus à Sirmondo in lucem editus, hæreſi 26. ſcribens, Sanctum Soterem Papam adversùs Cataphrygas librum concinnaſſe.

CAPUT III.

Eleutherus à Montaniſmi comprobatione vindicatur.

Pontificiæ indefectibilitatis hoſtes in ſui comprobationem erroris cùm aliis aliorum Pontificum, tùm Eleutheri facto abutuntur. Neque enim, inquiunt, in rebus fidei decernendis infallibiles habendi ſunt illi, quos aliquando hæreſes approbaſſe compertum eſt. Eleutherum verò vanas Montani prophetias, ejuſque errores fuiſſe complexum, aſſerit Tertullianus lib. contra Praxeam, cap. 1. licèt poſtea reſipuerit, ſuoque defectu cognito Montaniſmum abjecerit: *Fuit ergo*, infert Ellies du Pin, *tùm temporis Romanus Pontifex, qui novas Montani prophetias approbavit, & per literas Mon-*

Montaniſtis communionem impertiit , quas errore cognito revocare coactus eſt . Tota hujuſce rei fides Tertulliani teſtimonio innixa eſt , & Tertulliani quidem non jam Catholici , ſed Eccleſiæ deſertoris , novarumque prophetiarum cauſam acerrimè protegentis .

Hinc aliquibus viſum eſt , Tertulliano Montaniſtæ tantum in hac re credendum , quantum Calviniſtæ , aut Lutherano ſacras literas pro ſe afferentibus . Solere hæreticos errores ſuos Pontificibus affingere , ut eorum nomine , & auctoritate ſe tueantur , fucumque catholicis faciant , exemplis ſanè plurimis oſtendi poteſt . An ergo piaculum erit , ſi quis Tertullianum hæreticorum doctrinam ſecutum , eorum quoque mores imitatum dixerit ? Eleuthero Summo Pontifici dies dicitur : Accuſationes adverſùs primæ dignitatis perſonas admittendæ non ſunt , niſi argumentis probabilibus , multùmque veriſimilibus fulciantur . Quibuſnam verò monumentis hæc innititur accuſatio ? Tertulliani ſolius , atque hæretici teſtimonio : Teſtem nempè unicum , eumque Reo prætenſo inimiciſſimum proferunt . Supereſt ut legem afferant , quæ Teſtem unicum , atque inimicum nedum non explodat , ſed ejus quoque depoſitionem ad Rei prætenſi damnationem ſufficere definiat .

Sed tamen Rigaltius Tertulliano ſuo fidem adhibendam productis argumentis con-

ten-

tendit, inquiens: *Neque eſt quod ſuſpicemur, Tertullianum virum gravem, etſi tunc Montani partibus addictum, in hiſtoria tam recenti, tamque manifeſta, inque opere, quod adversùs Praxeam hæreticum pro fidei catholicæ articulo inter præcipuos nobili, componebat, mentiri voluiſſe; cùm præſertim mendacio ſplendido, ac ſtatim facilè confutando, pretium nullum*. At quis Tertullianum Montani, ejuſque prophetiſſarum ſomnia proſequentem, mordicùſque propugnantem, viri gravis elogio exornabit? Mihi certè hominum omnium leviſſimus videtur, & quò cæteris doctior, ac eruditior, eò etiam inconſtantior. Augetur ſuſpicio, quòd Eleutherum Praxeæ opera pacis literas revocaſſe; novaque chariſmata abjeciſſe aſſerat: Cùm tamen Divus Pacianus Praxeam Montani ſectatorem fuiſſe teſtetur, atque ex ipſo eodem Tertulliano ſatis deduci poſſit, eum Æſchinem Montaniſtam divinas Perſonas confundentem fuiſſe ſecutum. Parùm autem veriſimile eſt, hominem Montaniſtam Montaniſmi damnationem tanto ſtudio procuraſſe, ab ejuſque comprobatione Romanum Pontificem deterruiſſe.

Nè verò tota Eleutherii defenſio in ſimplici hujus facti negatione collocetur, aliter occurrunt noſtri, & dando quidem veram eſſe Tertulliani narrationem, inquiunt, ex ea ſolùm confici, Romanum illum Pontificem

cem falſis aſſertionibus deceptum ; pacis ; atque communionis literas Montaniſtis dediſſe . Errorem hunc facti eſſe , in eumque Romanum Pontificem facilè cadere potuiſſe, cùm Montaniſmus ut res optima , rectæque fidei in omnibus congruens , ſibi proponeretur , & commendaretur . Qui tamen à Praxea rei veritatem edoctus , pacis literas revocando , & communionem rumpendo , illibatæ fidei ſuæ argumentum præbuit ; ut mirum ſit , Novatores huic Pontifici Montani hæreſim affingere , quem conſtat , veritate compertâ , illam abjeciſſe , atque damnaſſe .

Sed huic reſponſioni , plauſibili licèt , atque communi , aſtipulari non poſſumus . Semel enim , quòd detur veram eſſe Tertulliani narrationem , conſequens eſt ut dicatur , Pontificem illum Montani , Priſcæ , & Maximillæ prophetias probaſſe , & pacis , atque communionis literas emiſiſſe , poſtquam ejus Prædeceſſores Montanum , ſuaſque prophetiſſas , & prophetias repudiaverant . Scribit namque Tertullianus , Praxeam à Montaniſmi favore Romanum illum Pontificem abduxiſſe , *Præceſſorum ejus auctoritatem defendendo* , à quibus proculdubiò Montaniſmus rejectus fuerat . Id autem ſi verum eſſet , quî culpâ careret Romanus ille Pontifex ? Haud enim debuiſſet Montaniſmum probare, hominibuſque illis communionem impertiri ; ſed Prædeceſſorum ſuorum potiùs

ju-

judicium ſequi, cumque illis Montaniſmum abjicere. An propoſitum recipendi Montani chariſmata eſſe potuit irreprehenſibile? Montanum ſcilicet credere Paracletum, ejuſque mulierculas Paracleti miniſtras. Hæc tamen de eo Pontifice aſſerit Tertullianus, inquiens, Praxeæ opera Romanum illum Pontificem *à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſiſſe*, atque Româ *prophetiam expulſam, & Paracletum fugatum*.

Duo itaque in Tertulliani narratione ſunt diſtinguenda, literarum nempè pacis, & communionis emiſſio, ac ratio, quâ motus Pontifex haſce literas dederit. Et haud quidem inficiamur, Eleutherum pacis literas edidiſſe: at quòd illas emiſerit eò quòd Montani prophetias agnoverit, ac probaverit, ut Tertullianus aſſerit, numquam concedemus. Non ergo ad haſce literas conſcribendas motus eſt Pontifex, quòd Montaniſtis addictus fuerit, aut quòd ab illis deceptus putaverit, eos probos eſſe, verorumque mirabilium effectores; ſed ex una parte, quòd Galli Epiſcopi, & Martyres eum ad id faciendum hortati, ac deprecati fuerint; ex altera vero, quòd Montaniſmus Romæ adhuc erat obſcurus, & incompertus; & licèt in Aſia à pluribus oppugnaretur, à pleriſque tamen propugnabatur, ob eamque rem magna erat Eccleſiarum illarum diſſenſio. Hæc facilè conſtare poſſunt ex lib. 5. Hiſt.

Hiſt. cap. 3. ubi ait Euſebius: *Cumque illorum hominum* (Montani ſcilicet, Alcibiadis, & Theodoti) *causâ diſſenſio orta eſſet, qui in Gallia erant fratres, privatum de his judicium ſuum, religioſum imprimis, & cum recta fide conſentiens, rursùs eidem Epiſtolæ ſubjunxerunt: prolatis interfectorum apud ſe Martyrum variis Epiſtolis, quas illi dum in vinculis eſſent, partim ad fratres in Aſia, & Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanæ Urbis Epiſcopum ſcripſerant, pro pace Eccleſiarum quaſi legatione fungentes.*

Quî ergo aſſeverabimus, Eleutherum irreligioſum quid, aut rectæ fidei diſſonans hiſce literis conſcripſiſſe, cùm ad illas emittendas motus quoque fuerit literis martyrum, atque Gallorum judicio *religioſo, & cum recta fide conſentiente*? Quin potiùs dicendum eſt, Eleutheri judicium ſimile prorsùs fuiſſe judicio Gallorum, ejuſque literas literis martyrum in omnibus congruiſſe. Quid verò continuerint literæ martyrum, veriſimiliter conjicit Valeſius in Notis ad laudatum Euſebii locum, inquiens: *Quòd ſi conjicere licet, hæc illorum videtur fuiſſe ſententia: Prophetas illos benignè tractandos eſſe, & ad pœnitentiam revocandos; ac ſiquidem reſipiſcerent, ad Eccleſias admittendos eſſe, ut pax inter fratres ſolidaretur: Si verò pertinaces in errore ſuo permanerent, nec*

poſt

poſt frequentes admonitiones obtemperare Sacerdotibus vellent, ab Eccleſiæ corpore abſcindendos. Si hæc Martyres de Montaniſtis ſenſerunt, hæc eadem fuit Eleutheri literarum ſententia. De Eccleſiarum pace, novitatum expulſione, deque Novatorum ſalute ſolicitè agebatur; his motus Pontifex pacis literas dedit prædictis conditionibus impertiendæ, minimè verò, quòd novas agnoverit Prophetias, & novi paracleti chariſmata recipere propoſuerit, ut Tertullianus comminiſcitur, ſibi, ſuiſque Montaniſtis patrocinium impendendo.

Sed inquies, cur literas tam religioſas, ac pias Praxeæ perſuaſione revocaſſet Eleutherus? quòd tamen id fecerit, teſtatur Tertullianus in hoc ſanè non refellendus. At jam advertimus, valdè dubiam in hoc eſſe Tertulliani fidem, quippè qui introducit hominem Montaniſtam Montaniſmum profligantem, propriæque profeſſionis damnationem toto conatu procurantem; quod certè non eſt veriſimile. Niſi fortaſſe velimus dicere, Praxeam, cùm Romam appulit, egitque adversùs Montanum, fuiſſe catholicum, deinceps verò Æſchinem Montaniſtam ſecutum fuiſſe. Et ſi res ita ſe habuit, Praxeæ perſuaſio ſat eſſe potuit, ut Eleutherus datas literas revocaret; has enim ipſe dederat cùm ad tollendam Eccleſiarum Aſiæ diſſenſionem, tùm quòd Montani errores eſſent dubii, nihilque

hilque de illis Romæ certè conſtaret. Rem ergo illarum partium Epiſcopis ſuis literis commiſerat, jubens illis quidem, ut eam pacificè contractarent. Advehiente deinceps Praxeâ negotium ut erat addidicit, atque Montanum manifeſtum hæreſiarcham datarum lenitate literarum indignum cenſuit; eaſque proindè revocare curavit, & Montanum, ejuſque ſectatores proclamavit hæreticos, privavitque Catholicorum conſortio.

Deſiderantur quæ de hoc argumento erant reliqua; ſed doctiſſimus Auctor, ut Lectorem monuimus, quod in hoc genere promiſerat, morte præventus præſtare non potuit.

FINIS.

MAG. 546

21